



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiastica Hymnodia Libri Tres

Secchi, Anacleto

Antverpiæ, 1634

Liber Primvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45942](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45942)

DE
ECCLESIASTICA
HYMNODIA
LIBER PRIMVS:

De præstantia & effectibus eius.

CAPVT I.

Hymnodie ortus vnde, & quando.



YMNODIÆ auspicia ab eiusdem natalibus ducere sicut conueniens; ita perutile censebitur, vt illius antiquissimum ortum cognoscens, maiorem erga illam concipiamus venerationem.

Res ad animarum religionem spectantes quò plus habuerunt antiquitatis, & plus venerationis & auctoritatis possidere iudicatae sunt, tum etiam minus periculi & falsitatis, non sine alicuius latentis diuinitatis indicio vehementi. Quæ sunt penitus humana, mutationem aliquam experiri coguntur, ob temporum succedentium mutationem, quemadmodum nouimus contigisse omnibus naturalis scientiæ Philosophorum placitis, quæ tot ferè extiterunt, quot philosophantium capita & ingenia,

Religionis res antiquitate firmanatur.

Humana res mutationi obnoxia.

A
nia,

E

nia; eamque mutationem sunt experta, ut vno sæculo probata, à subsequenti ætate improbata penitusque sint reprobata. Non sic euenisse conspiciamus rebus diuinitatem aliquam continentibus, quia eiusdem firmitatem inuariabilem induunt, sicuti in nostra Hymnodia attendere licebit.

In ipso mundi ortu laudes diuinae adhibita sunt.

Rupert. Tuitiensis in Genesim.

Sacra Scriptura silet multa priorum Patrum gesta.

Adamus primus Deo obtulit Sacrificia.

Hæc Hymnodia ortum suum cognoscit tam antiquum, quam antiquus est orbis à Deo creatus, si loquamur de Hymnodia in tota sua latitudine, quæ omne genus Hymni Deo decantati complectitur, siue scripti siue non scripti. Nam cum in ipso mundi exordio adfuerint homines Dei cultores, exigit recta ratio, ut credamus, fuisse ab ipsis pluries Deo creatori exsolutum Hymnorum tributum. Licet Rupertus Tuitiensis ingratitude insimulet Protoparentes nostros, quia cum miris excellentibusque fuerint à conditore Deo exornati donis, nullas tamen voces, preces nullas, laudes nullas Deo benefactori reddidisse scribantur; nihilominus, ad parentum excusationem, & ad veritatis manifestationem, se statim offert Historici sacri familiaris sobrietas, quæ plurima alia silentio tegit, quæ tamen, natura ipsa dictante, cognoscuntur explera, & ad amissimam obseruata, ex communi sanctorum Patrum sensu. Hi expédunt, quòd nulla etiam describantur Sacrificia ab iisdem Protoparentibus oblata, cum tamen credatur, Adamum, naturæ lumine impullore, seu potius Deo auctore, primum fuisse Dei cultorem Sacrificiorum oblatione; quam deinde ab eodem didicerunt filij, Abel & Cain, qui, patris exempla secuti, de fructibus acceptis grati animi signum non semel ostenderunt, Sacrificia offerentes, ille agnorum, hic frugum. Neque ratione

carere

carere dicendum est silentium istud sacri Scripto-
ris in Hymnis & Sacrificijs Adami, sed eam sug-
gerit D. Thomas valdè opportunam, & veritati
maximè conformem; quia nempe, cùm sacra Hi-
storia breuitati studeat, ea tantùm describere cu-
rat, quæ aliquo euentu insigni sunt ad aliquam
utilitatem singularem ordinata: quemadmodum
in memoratis Sacrificijs duorum germanorum
accidisse compertum est, quia adfuit diuinæ be-
neuolentiæ signum erga Abelem, ex quo ortum
habuit illud implacabile odium, quod ad enorme
fratricidij delictum impulit Cainum.

Si contenderet aliquis, sacra Scripturæ verbis
mordicus insistens, quòd tantummodò post na-
tum Enos sumpsit inuocandi forma diuinarum
laudum, quia apertè dicitur, *Iste cœpit inuocare*
nomen Domini: qui textus magis vrgere dicitur,
iuxta versionem non improbatam ab Illustrissimo
Card. Gaetano: *Tunc initium fuit inuocandi no-*
men Domini. Quamuis concederemus omnem
huiusce discursus assumptam probationem; maxi-
ma nihilominùs antiquitas elucesceret, cùm Enos
non valdè à primorum Parentum creatione, imò
adhuc viuentibus illis, fuerit genitus, & cum
ipsis per multa adhuc annorum sæcula vixerit. Mi-
nimè tamen absolutè concedimus hanc probatio-
nem; quia apud sacros Doctores pro comperto
habetur, non omnem per illa verba allata historiæ,
Dei cultum describi & admoneri. Antea præces-
serat manifesta descriptio cultus à Caino & Abele
oblatis, qui Deum suis Sacrificijs inuocabant &
adorabant. Alium sensum possunt offerre illa ver-
ba ad rem & veritatem opportunum, nec nostræ
assertioni contrarium. Admonent concordi sensu

*sacrificia
Adami cur
sileantur.*
D. Tho. 2. 2
q. 85. art. 1.

*Inuocatio
Dei quan-
do cœperit
inter homi-
nes.*
Gen. 4.

Qua maiori fieri studio cœpta sunt, dicuntur aliquando initium habere.
Gen. 9.

Noë primus vites digessit ad formam vineæ.

Torn. ann. mundi 236 num. 4.

Hymnorum usus sensim excreuit ad temporum incrementa.

Israëlitæ sub Moyse cecinerunt Canticum alternis choris.

facri Expositores, quòd allegatus Scripturæ textus nil aliud velit innuere, nisi externum cultus diuini incrementum; nam diebus sanctissimi Enos cœpit inter mortales maximo feruore promoueri publicus Dei cultus. Mos iste adhibendi vocem *initij* ad res maiori studio cœptas, est proprius sacræ primæ Historiæ. Nam post exactam primam mundi ætatem dicitur de Noë, quòd cœperit exercere terram, & plantare vineas; non quia antea nullus eam exercuerit, nec vllæ fuerint vites in terra plantatæ, cum & Adamus proprio vultus sudore sciatur exercuisse terram, & vites fuerint ab initio vnà cum alijs plantis creatæ; sed quia maiori quàm antea studio terram coluerit Noë, & quia nemo ante ipsum vites in vno loco in modum vineæ digesserat, expressurus ex illis arte vinum, sicut ipse expressit, & haussit. Eodem modo dicendus est Enos cœpisse inuocare nomen Domini, quia id munus pietate maiori cultuque excellentiori forsan sub certa, ait Torniiellus, formula precum ac Hymnorum, statis etiam diebus deputatisve horis, cœperit augere.

Usus iste pijsimus Hymnorum ab inuenta tempore cœptus, progressus sensim habuit maiores, excrecens ad temporum incrementa. Constat, quòd tempore sanctissimi Moyse erant homines iam edocti canere Hymnos solemniter ad formam chori. Israëlitæ omnes, post insigne miraculum transitus maris, & submersionis hostium Ægyptiorum, decantaturi Hymnum à Moyse & à Maria sorore compositum, diuisi dicuntur in duas classes, hinc viri sub Duce Moyse, illinc feminae, præcinente Maria, & omnes vno quasi ore easdem voces & sententias decantarunt; quod non sine

sine aliqua mira Dei operatione euenisse putat Auctor Libri de Mirabilibus sacrae Scripturae apud D. Augustinum: quia cum Maria & Moyses praecinentes in tanta hominum multitudine non exaudirentur ab omnibus, omnes tamen eos sunt profecuti absque vlla confusione, imò maxima cum distinctione ac delectatione.

Progressus deinde maiores felicioresque habuit haec laudabilis antiqua institutio aetate Davidis, sicut eodem tempore maximè vigere publicus diuinus cultus inter homines visus est. Fortunatissimus ille Rex non solum primi Templi Deo erigendi in terris primus & cogitauit & promouit constructionem, praeparando amplissimas pecunias, materiam, ministros & artifices omnes, imò & exemplaria; sed etiam dictante Deo composuit Hymnos, Cantoresque Leuitas instituit ad numerum quatuor millium, qui, aedificato Templo, Hymnodia perpetuò incumberent sub quatuor ducibus primarijs quos nominauit, Alaph nempe, Heman, Ethan, & Idithun. Quae Hymnodia feliciter perseuerauit in antiqua Ecclesia, prout temporum qualitas & rerum varietas patiebatur, vsque ad nouam à Christo Domino fundatam Ecclesiam: in qua sicut maiora & insigniora posita sunt caelestia Sacramenta, ita perfectior & absolutior reddita est forma diuini cultus, & solemnis Hymnodia. Hanc à Domino nostro acceptam retinuerunt Apostoli, imò & aliquando vnà cum ipso exercuerunt; licet, quoties id factum sit, ignoremus. saltem nouimus id aliquando factum sanctioribus quibusdam temporibus. Hymnum quemdam fuisse dictum à Domino nostro Seruatore vnà cum Apostolis suis narrat S. Mat-

*Hymnorum vsus
Davidis aetate floruit.*

*David auctor fuit
Psalmorum.
1. Par. 23.*

Christus Dominus cum Apostolis Hymnodiam exercuit.

Matt. 26.

*Hymnus
dictus à
Christo Do-
mino post
cœnā quis.
S. Iustin.
Dial Con-
tra Triph.
Burgens. in
Matth.*

Lorin. in
Psal. 64.

Baron. an.
34.

thæus post cœnam illam, quæ fuit omnium vltima in executione, sed ceteris sanctior in mysterijs. Is, eâ peractâ, dum procederet versus Oliuarum montem oraturus Patrem, Hymnum dixit, imò cantauit, vt innuitur à textu Græco. Quem Hymnum aliqui credunt fuisse Psalmum 21. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* qui totus est de passionibus mox futuris. Alij putant fuisse Psalmum 112. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* qui totus est in laudem diuinæ Maiestatis. Alij censent fuisse Psalmum 64. *Te decet Hymnus Deus in Sion.* qui totus agit de cultu diuino vsurpando etiam ab ipso Christo Domino. Alij tandem credunt fuisse Psalmum 113. *In exitu Israel de Aegypto.* qui iuxta ritum Hebræorum cantabatur in solemnitate Paschali. Voluit benignissimus Dominus, qui venerat præceptor & doctor noster in ijs quæ Deo Patri suo maximè placent, tradere nascenti Ecclesiæ à se institutæ exemplū huius præcipui muneris cantandi Hymnos vnâ cum alijs socijs, quod ipsa adulta debebat studiosissimè per electos ministros vsque ad sæculi consummationem imitari ac sustinere.

*Apostoli in
obitu Dei-
paræ vsq̃
sunt Hym-
nis.
D. Ioan.
Damaf.
Serm. 2. de
Dorm Dei
paræ.*

Hanc à Christo Domino acceptam Hymnodia formam Apostoli deinceps varijs occasionibus frequentarunt, & Ecclesiæ tradiderunt obseruandam ac perficiendam. In obitu seu funere Dei-paræ adfuisse Apostolicam Hymnodiam Angelorum Hymnodia coniuictâ, testatum habemus apud antiquos Ecclesiæ Scriptores, præsertim apud D. Ioan. Damascenum his verbis: Eius corpus, quod Deum ineffabili quadam ratione suscepit, cum Angelica & Apostolica Hymnodia elatum, in loco fuit depositum Gethsemani, quo in loco

loco Angelorum cantus mansit tres dies continuos. Hinc libuit dicere S. Augustino de Hymnorum cantu, nos habere Domini & Apostolorum documenta, exempla & praecepta. Quod magis vrgere videtur illud est, quod inter Apostolicas Constitutiones à S. Clemente, D. Petri discipulo, descriptas, habemus Decreta varia ad Hymnodiam usum pertinentia. Vnum est, conueniendi in Ecclesiam manè & vesperi singulis diebus ad canendum Psalmos, & preces in Templo Domini faciendas. Alterum Decretum distinctius describit horas psallendi & orandi, nimirum manè, hora tertia, sexta, nona, & vespere, atq; ad galli cantum. Ex quo Decreto aperte constat eos errasse, qui Hymnodiam sub forma Horarum Canonicarum acceptam referunt S. Hieronymo, siue S. Pelagio, qui multis seculis posteriores fuere Apostolis. Ad quam Apostolicam formam allusisse videtur Apostolus Paulus in illa sua hortatione ad Ephesios; *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, Hymnis, & Canticis*. Qui textus, iuxta glossam Haymi grauiissimi Doctoris, videtur intelligendus de alterno cantu Psalmorum ad formam chori, sicuti obseruatur in Ecclesia nostra. Tunc nobismetipsis loquimur in Psalmis, ait Haymus, quando alternatim canimus Psalmos. De quo antiquissimo usu ab Apostolis ad nos transmissio loquens D. Dionysius Areopagita, Apostoli Pauli discipulus, vocabat cantum istum alternum, quasi concordem & consonam sacramentorum rerum choream. Inde fortassis nomen chori datum est loco, vbi Hymnodia exercetur in nostris Templis Christianis.

Non defuerunt insignes Doctores, tam Græci

A 4

quam

D. August.
Epist. 119.

*Apostolorum
Decreta
circa usum
Hymnorum.*
D. Clem.
li. 2. c. 58.

*Hymnorum
usus suadet
ab
Apostolo
Paulo.*
Eph. 5.

S. Dion. Areopag. de
Eccl. Hier.
cap. 3.
*Chori nomen unde
profectum.*

quàm Latini, existimantes, Dauidem ad maiorem suam felicitatem præuidisse in spiritu, & prædixisse suos fore decantandos Hymnos in Ecclesia Dei in perpetuum: quod non semel videtur innuisse varijs in locis suorum Hymnorû. Aliquando pronuntiauit: *Confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo Psalmum dicam.* iterùm dixit: *Confitebor tibi in populis Domine, & Psalmum dicam tibi in gentibus.* alibi: *Psallam tibi in nationibus.* iterùm: *In Ecclesijs benedicā te Domine.* & alio in loco: *In medio Ecclesie laudabo.* & aliàs: *Apud te laus mea in Ecclesia magna.* aliàs itē cecinit: *Psalmum dicam nomini tuo in seculū seculi, vt reddam vota mea de die in diem.* Quæ verba commodiorem alium sensum non videtur offerre, nisi quòd Ecclesia, varijs nationibus, linguis & populis congregata, frequentare deberet confessiones & Psalmos à Dauide compositos per omnem seculorum feriem. Dum namq; Dauidis Hymni decantantur, ipse Dauid videtur præsens adesse psallentibus; sicut spiritus saltem eius adesse in illis Hymnis non negabitur. Hinc B. Theodorus aiebat: *In omnibus urbibus, pagis, agris, terminis, montibus & collibus, terra marique, inq; omni regione culta & deserta diuus Dauid per piorum linguas Deum laudando celebrat.* nec solùm celebrat, sed celebrabit dum vigebit Ecclesia Dei, quæ hos Hymnos sibi præscripsit adhibendos & frequentandos in suis preceationibus & laudibus publicè & priuatim oblatis.

Verum quidem est, quòd non semper idem ordo in horum vsu Hymnorum est ab Ecclesia seruatus, sed pro temporum varietate & mutatione aliquas habuit tum mutationes tum varietates, donec

Dauid cognouit, & prædixit suos Psalmos decantandos in Ecclesia.

Psal. 17.

Psal. 56.

Psal. 107.

Psal. 25.

Psal. 21.

Ibid.

Psal. 60.

Dauidis spiritus adest psallentibus pijs.

Diuini officij ordo varias habuit mutationes.

donec ad eam tandem formam perueniret, quam nunc tenemus auctoritate Summorum Pontificum firmatam & comprobata. Non idcirco antiquitatis auctoritas aut minuitur aut infirmatur, quia semper ijdem fuere Hymni eedemq; preces sub varijs formis ritibusq; ordinatae. Sicut neque ideò cessat esse aut dici idem homo, qui nunc senescens formam & speciem mutauit, redditus maximè diuersus ab ea forma quam infans & puer habebat. Potuit igitur eadem Hymnorum modulatio & recitatio existere sub nomine Horarum Canoniarum siue Officij diuini, sicut ab initio Ecclesiae fuit in vsu. Potuit nihilominus forma & ordo ipsorum Hymnorum varietatem admittere non solùm absque læsione, verùm etiam cum perfectiore incremento cultus diuini.

Firmum itaque maneat nos, antiquitatem sequi, nec vllam recens inuentam Hymnodiã exercere. Hinc est, quòd Summi Pontifices & Patrum Cõcilia Oecumenica, quæ ad hanc rem varias decreuere constitutiones, in eo potissimùm se elaborare admonent, non ad aliquam inducendã nouitatem, sed antiquitatem ritus, paullatim ex humana imbecillitate collapsam, restituendam, & ad pristinum vigorem reuocandam. Nisi essemus mortales, fragiles infirmi q;, nec à sanctis institutis contingeret aliquando deflectere, opus numquam esset aliqua renouatione, cohortatione, decretis. At imbecillitas humana, quam inuiti cogimur erga bonas actiones experiri, renouationes suadet ac

Pius V.
in Bulla,
*Quod à
nobis po-
stulat.*

*Hominis
imbecilli-
tas muta-
tionem pa-
titur.*

A 5 differit,

Tertul. l. i.
Contra
Marcion.

differit, quam pro coronide huius primi Capitis
vsurpabo libenter : *Omnino res Christiana sancta
antiquitate stat, nec ruinosa rectius reparabitur,
quam si ad originem censeatur.*

C A P V T I I.

*Diuino cultui quantum conueniat Hym-
norum vsus.*

*Dei subli-
mitas ne-
quit ab ho-
mine dignè
laudari.*

Eccli 43.

*A Deo po-
stulandum
auxilium,
vt à nobis
dignè lau-
detur.*

TANTA est diuinæ sempiternæq; Maiestatis
altitudo & sublimitas, ob infinitatem & im-
mensitatem naturæ, perfectionum & attributo-
rum, vt maximè deceat, si non vt par est, saltem,
quantum humana potest conari imbecillitas, eam
Hymnis colere ac celebrare. Verè nulla creatura,
neq; humana neq; etiam Angelica, pares vnuquam
poterit tanto Deo exhibere laudes: nam, vti sæ-
pissimè asserendum est, quæcumq; poterunt sub-
limiores à creaturis offerri laudes, semper erunt
meritis Dei in infinitum inferiores, semperq;
Deus dicetur, tum à Theologis tum à sacris
Scripturis, maior omni laude. Eniti nihilominus
ac conari debemus, quas possumus maiores lau-
des omni affectu illi offerre, vt sicut non animo
solo, sed corpore & membris constamus; ita nec
sola mente ac spiritu, sed & lingua & Hymnis
Deum colamus. Hymnorum itaque publicus vsus
sicuti ad Deum publicè colendum est institutus
& aptus; ita semper fuit etiam, quando Sacrificia
frugum & animalium vigeant, valdè frequens
ac familiaris viris pietate insignioribus, qui & stu-
debant poscere à Deo auxilium & gratiam, ad
dignas aliquo modo tanta Maiestate promendas
voCES

voces & laudes, vt debitum cultum feliciter ex-
plerent, cum se cognoscerent tanto muneri valde
impares, sequentes Hymnographum eiusdem rei
optimum Doctorem, qui supplex Deo dicebat:
Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit P^{sal.} 50.
laudem tuam. quam petitionis formulam vsur-
pans Ecclesia, semper pramittit in exordio Hym-
nodia, vt felix initium digna sit sumere ad profe-
quendum opus laudandi Deum.

Hic se offerunt concilianda duo pronuntiata
circa has laudes tum in profanis tum in sacris *Ineffabili-*
Auctoribus celebra, quæ videntur inter se ex ad- *tas Dei*
uerso pugnare, cum tamen re ipsa sint maximè *quanta.*
consona, si recta considerentur ratione. Ex vna
parte testantur omnes Auctores, tam sacri quàm
profani, diuinam Maiestatem esse ineffabilem, &
ob id, magis laudandam & prædicandam silentio
quàm eloquio. Hanc ineffabilitatem asseruit Trif-
megistus Mercurius in Hymno de Deo. Eamdem
statuit Poëta Lyricus dicens:

— *Sacro digna silentio*
Mirantur Vmbra dicere. —

Hanc ineffabilitatem adstruit ex sacris Literis
D. Dionysius Areopagita, tradens arcana cælestia
filentio veneranda. Ipsa Seraphim beata, quæ licet
corporeæ expertia molis, sub figura tamen corpo-
rali conspici voluerunt ab Isaia, antequam trifa-
gion Hymnum voce explicarent, eamdem ineffa-
bilitatem ostendere volentia, velare studuerunt fa-
ciem & pedes. Ipsemet noster Hymnographus,
qui aliàs erga Deum solet esse suarum laudum pro-
fus, tandem confiteri cogitur, melius honoran-
dum esse Deum silentio quàm sermone, dicens:

Te decet Hymnus Deus in Sion. quæ verba in fon- P^{sal.} 64.

te

te Hebræo, iuxta monitum D. Hieronymi, sunt
legenda: *Tibi silentium laus Deus in Sion.*

*De Deo
melius lo-
quimur per
negationes
quàm per
affirmatio-
nes.*

D. Dion.
de Diuin.
nom. c. 13.

Ad idem significandum spectat illud Platoni-
corum Axioma, quòd nos melius loquimur de
Deo per negationes, quàm per affirmationes.
Quam doctrinam secutus D. Dionysius scripsit,
Deum esse non substantiam, non vitam, non lucem,
non sensum, non mentem, non sapientiam,
non bonitatem, non Deitatem, sed quoddam his
omnibus eminentius & præstantius, quod nostris
sermonibus assequi non licet. Imò concludit,
quòd diuina Maiestas sicut superat omnem no-
strum captum, ita etiam omne creatum eloquium.
In cuius rei explicatione vitur sanctus Theolo-
gus nouo ac mirabili, imò dixerim, plusquam hu-
mano sermonis & vocum genere; vt inde appa-
rear, infinitam eminentiam Deitatis superare om-
nem locutionem & intelligenciam. ait itaque: *Nihil
eorum que sunt, aut eorum que alicui existentia
sunt cognita, explicat arcanum illud omnem ratio-
nem & omnem intellectum superans, superdeitatis
superessentialiter super omnia superexistentis.* En
huius sanctissimi Areopagitæ diligentia in per-
quirendis sublimibus vocibus ad Dei naturam ex-
plicandam, quia ineffabilis tandem remanet.

*Ethnici
cognouerunt
Dei magni-
tudinem
ineffabile.*

Ad eandem ineffabilitatem demonstrandam
spectat illud Numen à Romanis venerationi ex-
positum, cui nomen Tacita, quæ ore signato, digi-
toq; admoto ori, conspiciebatur; ille quoq; Har-
pocrates apud Aegyptios adoratus, qui etiam
dictus est Sigalion, digitum labijs impressum te-
nens; vt ostenderetur, quòd Numina cælestia op-
portuno coluntur silentio, non vocibus & sermo-
ne. Lepidum est id quod antiquo Philosopho Si-
monidi

monidi accidisse narrat Tullius cum Hierone Sicilia Tyranno. Rogatus Philosophus à Rege, ut oratione explicaret Dei Maiestatem, triduum postulauit ad respondendum. Hoc euoluto spatio, decē iterum ac deinde triginta alios expetiit dies, volens his dilationum sensim maiorum postulationibus ostendere, quòd Deus, quouis temporis spatio dato, non queat pro dignitate explicari. Verum quia Tyrannus importunè exigebat responsum, Philosophus tandem verbis claris edixit, id fieri à nemine posse, dicens: *Quò diutius considero, eò mihi res videtur obscurior.* Sed forsan & melius & breuius ex nostris Catholicis Euagrius Monachus, cum de Diuinitate facta ei quæstio esset, ait: *Quod verbis exprimi nequit, silentio uenerari debemus.*

Ex alia parte omnis Scriptura sacra, & omnis etiam creatura, prouocat nos ad diuinas laudes frequentandas. In sacris Literis nil mortalibus magis serè indicitur, atque vrgetur, quàm diuinarum laudum perpetuus vsus. Mirum est, quàm multus & assiduus, quasi dixerim nimius, videatur noster Psalter in hac diuinarum laudum commendatione. Modò vices & personam Dei homines alloquentis induens, commendat hoc opus tamquam sibi super cetera carum: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Modò munus assumens ministri, inuitat, excitat, vrget omnes mortales, ut Deum omni studio Hymnis concelebrent: *Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi.* Iterum: *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio.* Eadem iterat sexcentis alijs locis. Quasi verò id parum fuerit, inuitat deinde omnes creaturas, easq; accersit socias, cælestes, terrestres,

Cic. 1. de Nat Deor. Simonides elegari artificio extēdit Dei ineffabilitatem.

Ex Socrate lib. 3. c. 5.

Laudes diuina ab homine exiguntur.

Psal. 49.

Psal. 116.

Psal. 32.

- stres, aëreas, aqueas, igneas, vt secum Deum colaudare statuant, vtens prosopopœia, modò caelos alloquens, modò terram, modò mare, ligna, campos, flumina, quasi omnia rationem & intelligentiam possiderent: *Letentur caeli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius, gaudebunt campi.* iterùm ait: *Moueatur mare, & plenitudo eius. Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt.* sed fusiùs iterùm: *Laudate Dominum de caelis, sol, stellæ, lumen, & alia omnia creata. Quæ imitantes sanctissimi illi iuuenes socij Danielis dum in Babylonica existerent fornace, inuitarunt ad Dei laudem & confessionem quotquot erant in caelis, sub caelo, & subtus terram naturæ & species rerum homini deseruientium: Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.* En quantum ab istis allatis Scripturis, vrgeantur diuinarum laudum exercitia.

Creatura inanima hominẽ inuitant ad Dei laudes. Addamus nunc, quòd ipsæ creaturæ inanimæ ad easdem laudes cum ipsis prouehendas nos sine voce inuitant & excitant suo exemplo. Omnes modo suo Deum laudant & benedicunt illius Maiestatem, Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, & Gloriam, iuxta Dauidicum pronuntiatum: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Quod nouerunt exequires inanimæ, cur multò magis non decet nos, qui ratione & sermonem habemus, altiori perfectiorique modo explere? Qui ista confert cum illis priori loco allatis, magnam inter ipsa diuersitate intercedere dicet. Illa silentium imperant, hæc vocis conatum deposcunt. Illa dehortantur, hæc verò suadent laudum vsum. Cessabit tamen omnis

nis difficultas, si attendatur magnitudo & sublimitas diuinæ infinitæ Maiestatis. Quatenus magna est & sublimis, omnem à nobis requirit laudem, honorem & benedictionem; quatenus infinita est, omnes limites & terminos excedens, efficit, ut quælibet laus, quamuis insignis, silentium sit, non locutio: plura namq; sunt, & omnimodis maiora, quæ tacentur, quàm quæ sermone celebrantur.

*Omnis
creatura
laus silen-
tium est re-
spectu Dei
infiniti.*

Hoc genere silentij videtur vsus in Canticis Cant. 4.
Salomonicis Sponsus, dum pulchritudinē Sponsæ celebraturus, volens innuere, nullam disertam linguam posse illam oratione comprehendere, adhibuit illam formam dicendi: *Absq; eo quod intrinsecus latet.* Vbi alij ex Græco legunt: *Extra silentium.* Quemadmodum Orator qui luculentissimam habuit orationem in laudem alicuius summi Herois, eiusdem fortiter res gestas enarrando, ut tandem ostendat eum longè maiorem esse enarratis, concludit perorationem, dicens, tot tantaq; egregia facinora omissa esse, ut nihil omnino vnusquisque sibi persuadeat fuisse quæ hactenus oratione ipse recensuit; hortaturq; Auditores, ut silentium potius audiuisse quàm longam orationem in animum inducant. Numquam adeò verum est, quòd omnis oratio creata, licet alta & sublimis, sit habenda silentium, quàm in causa diuinarum laudum, quia tum creatura laudans, cum oratio laudantis est limitibus finita; Dei autem substantia, & quidquid in ea reperitur, sunt absolutè infinita, iuxta vulgatum Theologorum Axioma: *Quidquid est in Deo, Deus est.* Quæ proinde dicuntur de Deo, nihil omnino sunt, vel sunt silentium, quia verba sunt creaturæ de
Creatore,

Creatore, temporalis de Æterno, mortalis de Immortali, finiti de Infinito.

Quamuis silentium potius sint omnes laudes Deo oblatae, propter eius infinitam Maiestatem, laudes nihilominus veræ sunt, & laudes multis nominibus illi debitae propter eius infinitam dignitatem. Hæc eadem nihilominus infinitæ dignitatis ratio, propter quam silentium potius quàm laudes sunt nostræ voces, exigit à nobis frequèntius ac feruentius studiù vsurpandi laudes ipsas, vt Deus à nobis eum cultum, sin quem debemus, saltem quem aut possumus aut nouimus, re-

*Qui Deum
cognoscunt,
studiosi sùt
Hymnodia.*

Psal. 150.

cipiat, & qui hanc dignitatem nouerunt, quascumque possunt altiores student tanto Numini offerre laudes. Ipse Regius Hymnographus, quia perfectè cognoscebat diuinam dignitatem, hanc populis obijciebat ac suggererebat, vt vnusquisque magis ac magis excitaretur ad studiosiorem istam laudum frequentationem, dicens: *Laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.* Imò se ipsum arctissimo vinculo voti adstringebat, vt, donec in ipso vitæ halitus vigeret, numquam ab Hymnis cessandi, sed semper nouos concinendi.

*Votù Da-
uidis solem-
ne laudan-
di Deum.
Psal. 60.
Psal. 145.*

Huius votum extat in illis verbis: *Psalmm dicam nomini tuo in saculum seculi, vt reddam vota mea de die in diem.* vbi attendèda est illa causalis dictio *vt*, quæ debitum importat emissi voti. Sponsione aliam generosam iterùm exponens ait: *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.* Verus Dei cultor tali in eum affectu semper ardet, vt Hymnis concelebret omni tempore.

Nouerunt aliqui Hymnis colere Deum quando felicitatibus augentur, aut contrà quando necessitatibus premuntur; nec ideò improbandæ sunt huiusmodi

huiusmodi laudationes, semper namq; placitæ
sunt Deo: gratiores tamen perfectioresq; semper
declarabuntur quæ Deum respiciant propter se, *Laudis di-*
non propter priuatū aliquod bonum, quia scilicet *uina perfe-*
Deus est omni laude & honore dignus, seu, vt ca- *ctio in quo*
nebat Hymnographus, quia bonum est illi Hym- *sua sit.*
nos offerre: *Confitebor nomini tuo Domine, quoniã* *Psal. 53.*
bonū est. nimirū quia omni amore & celebratione *& 91.*
dignum. Et qui hoc solo puro affectu mouentur,
scilicet ob illius egregiam Maiestatem, bonitatem &
sublimitatem, quemadmodum erga Deum actū
exercent veræ, perfectæq; caritatis, ita magis ma-
gisq; semper inualescunt animo ad eum colendū
& celebrandum, etiamsi Deus videretur illis ad-
uersus, nec illis vñquam se benignū ac propitium
ostenderet. Illustre exemplum huiusce animi pro- *Laudāus*
pensionis in Deū orbi declararunt tres illi Hebræi *Deus etiam*
iuuenes paulò antè memorati, à Rege Chaldæo- *in aduersis.*
rum in fornacem flammis accensam missi, qui sic-
ut erant regio sanguine clari, fideq; veri Dei cla-
riores, ita Regi illi barbaro liberè dixerunt dignam
æterna memoria sententiam: *Deus noster, quem* *Daniel. 3.*
colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis,
& de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si nolue-
rit, notum sit tibi, Rex, quia deos tuos non colimus,
& statuam auream, quam erexisti, non adoramus.
Numquam se à cultu veri Dei cessaturos spopō-
derunt. Qui Deum colunt, & laudant, & inuo- *A laudibus*
cant, tantummodò vt à malis liberentur, desi- *Dei nō ces-*
stuntq; ab incepto cultu, si non audiuntur, nomē *sandum, li-*
& meritum verè cognoscentium Dei sublimita- *cet nolit*
tem non merentur: coli enim debet Deus à no- *Deus ex-*
bis, laudari, benedici, & celebrari, siue liberet siue *audire.*
non liberet, siue concedat siue neget, siue audiat

B

siue

Psalm. 95. siue non audiat: *Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos.*

*Hymnorū
usus ho-
minibus sua-
detur ab
Angelis.*

Tobias 12.
Ibidem.

*Tobias
Hymnis
Deum ce-
lebrat.*

Æmulandus est profectò in hoc studio sanctus David, ob indefessam frequentiam in decantandis Hymnis Deo, & in prouocandis alijs creaturis ad eorundem Hymnorum vsum, Angelicum in hac re ipse imitatus officium. Angeli altiores nil magis hominibus iustis suadere nouerunt, vt Deo creatori cultum gratum exhibere valeant, quàm diuinorum Hymnorum vsum frequentem. Profero Angelum illum Raphaelem, qui vnus erat ex septem altioribus Spiritibus coram Deo semper adstantibus, Tobia iunioris non solum comitem & ducem, sed protectorem ac præceptorem. Hic nobilissimus Angelus, siue potius Seraphinus, posteaquam iuuenem illum sospitem ac felicem ad genitores reduxit, bonisque plurimis ac gaudio cumulauit, vt tandem ipsum cum parentibus ad Dei maiorem cultum incitaret, persuasit breui quidem, sed arcanis copioso sermone, vt Deum Hymnis celebrarent ac benedicerent: *Ipsam benedicite, & cantate illi.* iterumque eandem auget hortationem: *Benedicite Deo, & narrate omnia mirabilia eius.* & his dictis dispersens, redijt ad cælum. Quo seraphico consilio excitatus Senior venerabilis, Hymnum derepentè miris laudibus reduntantem cecinit ad gloriam Dei qui facit mirabilia, cui semper laus & honor ab omni creatura reddatur.

Huius diuini cultus præstantia nihil minuitur ex eo capite à nonnullis aliquando iactato; quia scilicet Hymnodia publicæ vsus minimè sit tantæ necessitatis in Ecclesia Dei hisce temporibus, quæ sunt literarum studia ad hæresum euulsionem.

Non

Non esse quidem necessarium Hymnodia pu-
 blicæ vsu, fateor, ad hæreticos conuincendos, at
 necessarium esse ad publicam diuini cultus pro-
 testationem atque dilatationem, nemo prudens
 negabit. Imò si vnus necessitas cum alterius com-
 paratur necessitate, non erit inconueniens asserere
 maiorem aliqua ex parte necessitatem in vsu pu-
 blicæ Hymnodia, quàm in studijs literarum. Cer-
 tum sanè est, illius vsu numquam cessaturum,
 sed semper duraturum & in hac & in futura vita,
 vt haud semel ostendetur in Operis huius pro-
 gressu, quemadmodum innuere voluit Dauid
 illa solemni cuiusdam Psalmi conclusione: *Psalm.* 60.
Psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi. Hancq;
 insignem Hymnodia præstantiam comprobare
 statuens misericors Deus, maluit aliquando, non
 sine prodigio verbi sui, prædicationem cessare, vt
 chori peragentur munera, quàm in choro per-
 mittere vnus functionarij defectum, vt concio
 compleretur. Id certò euenisse nouimus ex Hi-
 storijs fide dignis beato Antonio Lusitano, vulgò
 Patauino, qui sicut singulari pollebat gratia & au-
 ctoritate dicendi ad plurimos ab erroribus reuo-
 candos, vt idcirò meruerit Hæreticorum malleus
 dici, ita, ne aliquando muneribus deesset sibi præ-
 scriptis in choro, quibus ex obliuione neminem
 suffecerat, visus est semel atq; iterum in medijs
 concionibus, quas tunc habebat ad populi in-
 numeram multitudinem, in locis à choro valdè
 distitis derepentè verba suspendere per aliquod
 temporis spatium, quo postea cognitus est, infinita
 Dei operante virtute, & adfuisse choro, vt munus
 sibi debitum suppleret, & à suggestu nihilominùs
 haud discessisse, vt, chorali peractò munere, cõ-
 pleret

*Hymnodia
 necessitas
 ad colendū
 Deum.*

Psalm. 60.

*Singularis
 Dei digna-
 tio erga
 chori præ-
 stantiam.*

pleret absq; auditorum conturbatione iam ceptâ concionem. At erga scientiarum studia habemus euentus prædicto valdè dissimiles. vt enim notum faceret Deus, hæc esse ad hæreticorum infidelitatemque quorumcumque conuersionem minimè necessaria, voluit haud semel, in præcipuis fidei cōtrouersijs, non obtineri à viris cultioribus disciplinis instructis, quod facillimè obtinere simplices idiotæ nuda ac simplici mysteriorum fidei propositione, de quibus à doctioribus sine fructu fuerat acerrimè disputatum cū infidelibus. Vnicum huius veritatis luculentissimum exemplum, quod in celeberrimo Nicæno Concilio accidisse narrat Ruffinus, subijciam iisdem verbis Scriptoris, vt euentus cōditio, quæ fuit valdè insignis, meliùs cognoscatur. *Cum pro studio, ait Ruffinus, religiosi Imperatoris (Constantini) ex omni terra Sacerdotes Dei coissent, opinione commoti Philosophi quoq; & Dialectici valdè nobiles & opinatissimi conuenerunt. In quibus quidam insignis in arte Dialectica per dies singulos conflictus summi certaminis cum Episcopis nostris, viris adaque in Dialectica non improbabiler eruditis, mouebat, & fiebat ingens spectaculum, conuenientibus ad audiendum doctis & literatis viris; nec tamen ullo genere Philosophus concludi à quoquam poterat aut constringi: tanta enim dicendi arte obiectis questionibus occurrebat, vt ubi maximè putaretur adstrictus, velut anguis lubricus elaberetur. Sed vt ostenderet Deus, quia non in sermone regnum Dei, sed in virtute consistit, quidam ex Confessoribus simplicissima natura vir (à multis putatur Spiridion Trimituntis in Cypro Episcopus) & nihil aliud sciens nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, inter ceteros Episcopos*

Ruffinus
lib. 1. Histor.
cap. 3.

scopos auditores aderat, qui cum vidisset Philosophum insultantem nostris, & callida se disputationis arte iactantem, poscit ab omnibus locum, velle se paucis cum Philosopho sermocinari. Tum vero nostri, qui simplicitatem viri & imperitiam de sermone dumtaxat nossent, pauere, & veluti quemdam pudorem pati, ne forte apud callidos homines risui efficeretur sancta simplicitas. Persistit tamen Senior, & hinc mouit sermonis exordium: In nomine, inquit, Iesu Christi Philosophe audi qua vera sunt: Deus vnus est, qui fecit calum & terram, quiq; homini, quem de terra limo formauerat, spiritum dedit, vniuersa, qua videntur & qua non videntur, virtute Verbi sui creauit, & Spiritus sui sanctificatione firmavit. Hoc Verbum ac Sapientia, quem nos Filium dicimus, humanos miseratus errores, ex Virgine nascitur, & per passionem mortis a perpetua nos morte liberauit, ac Resurrectione sua aeternam nobis contulit vitam, quem & expectamus indicem omnium qua gerimus esse venturum. Credis hoc ita esse, o Philosopho? At ille, velut si numquam vllum sermonem contradicendi didicisset, ita obstupescens virtute doctorum, mutus ad omnia, hoc solum potuit respondere, ita sibi videri, nec aliud verum esse, quam quod dixerat. Tum Senior, Si haec, inquit, ita esse credis, surge, & sequere me ad Dominicam, & huius fidei signaculum suscipe. Et Philosophus conuersus ad discipulos suos, & ad eos qui audiendi gratiam conuenerant: Audite, inquit, o eruditi viri; donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & qua dicebantur dicendi arte subuerti; ubi vero pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo aduersari potuit Deo. Ideo si quis vestram potuit in his, qua dicta

Mira Philosophi conuersio ad veram fidem.

sunt, sentire qua sensi, credat Christo, & sequatur hunc Senem, in quo locutus est Deus. Ita Philosophus Christianus effectus, tandem se gratulatus est victum. Aptam quidem sunt literarum studia ad infidelium conuersionem promouendam, sed minimè necessaria. Et opus conuertendi animas ab erroribus in primis est opus Dei, non autem solius humani studij. Deinde hoc opus potest non mediocriter expectare auxiliū à recto publicæ Hymnodiaē vsu, propter vim impetrandi maiorem apud Deum, de qua infra agetur, & propter vim exempli apud ipsos infideles, qui audientes videntes Dei cultum opportuna expletum grauitate ac decore, maiorem erga nostram fidem concipiunt uenerationem; quemadmodum re ipsa euenit Imperatori Valenti, Arianae hæresis insigni fautori, testantur Scriptores Ecclesiastici: hic aliquando ad Catholicorum Templum accedens ubi Magnus Basilius aderat Episcopus, ad diei festum Natalis Domini celebrandum, cum audisset vidissetque, quanto cum decore ac grauitate Psalmorum cantus ceteraque Ecclesiæ munia peragerentur, tam magna affectus est admiratione ac ueneratione erga sanctum Episcopum, & erga Catholicos ritus, ut fuerit coactus eorum laudes celebrare, licet haud diu post, aduersariorum calumnia inductus, iusserit Basilium exulare.

Has ob causas omnipotens Deus, qui humanas res mirabili disponit suauitate, vtrumque istud munus, Hymnorum scilicet cantum & hæresum euulsionem, in plerisque insignioribus Ordinibus coniunxit, & huiusmodi Religiosorum ministerio multis ab hinc sæculis est præcipuè vsus, ad infidelium peragendam conuersionem, ut ab iisdem

Libro II.
cap. XIV.

Sozom.
lib. 6. c. 16.

Vis Hym-
nodia rectè
expleta.

& coleretur cantu Hymnorum, & defenderetur præsidio literarum. Hinc iure obseruarunt huiusce diuinæ suauitatis contemplatores, qui nos præcesserunt, constantem fuisse Dei morem, nouis exurgentibus in Ecclesiæ agro hæresum venenosissimis dogmatibus, præparare, inter alia validiora promptioraq; antidota, nouas Religiosorum scientias & chorum profitetium Ordines, ad Ecclesiæ suæ solatium & robur. Huius diuinæ prouidentia suauissimum effectum præsertim animaduenerunt nobiles Auctores in ortu Albigen-
Ordines Religiosi, chorum & scientias profitentes sunt Ecclesiæ fulcrum.

sium hæreticorum, qui Ecclesiam superioribus sæculis peruersis dogmatibus diu acriterq; perturbare conati sunt: nam contra istos eodem tempore excitauit Deus duos præclarissimos Ordines, S. Dominici ac S. Francisci; qui sicuti choro & scientijs operam strenuam præstare debebant, ita essent verum Ecclesiæ fulcrum, eam, ob hæreticorum impetum, pænè nutantem egregiè sustinentes, iuxta visionem Vicario Christi illius temporis exhibitam, quam infra hoc eodem Libro describimus.

Idem ferè obseruare nobis licuit in ijs quæ acciderunt circa initium sæculi proximè elapsi, ab anno scilicet M. D. xvii. ad annum M. D. xxxviii. nam tunc contra Ecclesiam in præcipuis Europæ partibus prauissimi exorti apparuere errores, qui eam funditus se euersuros minabantur. In primis
Lutheranismi initium, & progressus.

Martinus Lutherus in Germania, vbi natus erat, verbo, scriptis operibusq; turpissimis non solum plurimos euomuit pestilentissimos errores, sed insuper peperit alios hæresum variarum auctores nihilo seipso meliores. Andreas enim Carolostadius, Huldricus Zyvinglius, & Ioannes Oecolampadius,

lampadius, execrandissima tanti parentis proles, nouarum familiarum impiissima capita anno M. D. XXVI. prodierunt in lucem. Anno statim proximè sequenti ex eodem infecto stipite ortum habuerunt Balthasar Pacimontanus, & Bernardus Rothmannus, Anabaptistarum promulgatores hæresim. Prædictos Lutheri discipulos subsecutus est Philippus Melanchthon anno M. D. XXXI. Confessionistarum auctor. Post Lutheranismi hæresis tantam dilatationem, Henricus Rex VIII. in Anglia anno M. D. XXXV. à Romana Catholica deficiens Ecclesia, grauissimum enormissimumque schisma excitauit. Tandem in Gallia Ioannes Caluinus Ecclesiam anno M. D. XXXVIII. aliis perniciosissimis perturbauit dogmatibus. Cùm igitur tot tantaque exurgerent hæresum monstra, quæ Sacramentorum, Eucharistiæ præsertim & Penitentia, veritatem impugnant, Indulgentias negant, Purgatorij pœnas tollunt, summi Pontificis penitus euertunt auctoritatem, fidelissimam Ecclesiæ sponsus Christus Deus, qui huic promisit perpetuam assistentiam, dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, vt impietati pietatem, peruersis que magistris optimos opponeret Doctores, atque venenis antidota pararet, instituendos disposuit tres ferè simul ab vno eodemque Pontifice approbatos Ordines Regularium virorum, choro & scientiis operam nauantium: vt sicut breui annorum interuallo contra Ecclesiam tot instruebantur validissimæ hostium copiae, quæ in præcipuas tres turmas, Lutheranorum, Schismaticorum, Calvinistarum diuisæ, eam aggredi niterentur, ita Ecclesiæ adessent totidem virorum electorum acies

*Anglicani
schismatis
initium.*

*Caluinistica
sectæ or-
tus.*

Matth. 28.

acies ordinatæ, & ab vno eodemque summo Pontifice, qui fuit Clemens VII. approbatæ, breui annorum interuallo, ad eiusdem Ecclesiæ tutelam & amplificationem, Ordines isti fuere, Clericorum Regularium, qui Theatini appellantur, anno M. D. XXIV. Capucinatorum sancti Francisci, anno M. D. XXVIII. Clericorum Regularium sancti Pauli, anno M. D. XXXIII. ex quibus prodirent egregij sanctique viri, qui verbo, scriptis, exemplo & opera vim tuerentur ac promouerent Sacramentorum, Catholicamque fidei nostræ doctrinam sustinerent omnibus neruis. Quod egregiè factum videmus. Nam Theatini in Italia omni genere insigniorum virtutum & doctrinarum flourerunt florentque, & Ecclesiæ insignes præbuerunt Cardinales & Episcopos. Capucini & Paulini tum in Italia, tum in Gallia & in Germania enixè strenueque laborant, non sine piarum animarum in omni virtutum genere confirmatione, peccatorumque ad meliorem frugem reductione, hæreticorumque ad veritatem vnitatemque Catholicæ Romanæ fidei conuersione. Ad quod præclarum opus sæpè sapiùs destinantur ab ipsis summis Pontificibus pro tempore Dei Ecclesiam regentibus, qui ad hunc finem erexerunt in Vrbe insignem grauiorum Prælatorum Congregationem, quæ dicitur *De propaganda fide*, inuigilantem huic idoneorum ministrorum pro Catholicæ fidei propagatione laborantiũ electioni ac missioni. Patet igitur, quòd Hymnorum cantus sicut diuino conuenit cultui tum exercendo tum amplificando; ita haud rectè dici potest minimè necessarius hisce temporibus specie zeli erga hæresum euulsionem, cùm sit compertum, vtrumque istud

*Theatino-
rum, Capucinatorum,
Paulino-
rum appro-
batio à Cle-
mente VII.*

*Congregatio-
nis De
propaganda fide in
Vrbe officium.*

munus in Ecclesia Dei à multis Ordinibus Religiosis fideliter expletum per sæcula multa, atque expleri in dies magna felicitate. Neque enim superioribus sæculis fuit Ecclesiæ ager à prauo errorum semine omnino immunis: neque item his tantum temporibus apparere incipiunt in agro isto mala zizaniorum germina, vt idcirco qui possit dicere, tunc tantum vsum debuissè publicæ Hymnodiaè admitti, ommissis scientiarum studiis, nunc autem solis esse vacandum litteris, & à chori frequentia abstinendum. Caueant qui ista sibi ex ore permittunt excidere, ne viam iterum aperiant errori iam damnato tum Hilari Ariani, tum Ioannis Wiclefi, dicentium, in cantibus Ecclesiasticis frustrà conteri tempus, Sacerdotesque in Ecclesia cantantes esse Sacerdotes Baal, valdè namque affinia sunt isti errori prædicta promuntiata; quæ licet non animo proferendi errores, sed zelo facilioris errorum destructionis dicantur, viam tamen sub specie zeli sternunt erroribus. Dicamus itaque, Hymnorum cantum maximè conducere ad cultus diuini insignem protestationem atque dilationem, neque vquam in Ecclesia Dei cessaturum, imò semper duraturum in æternum, & vltra, cum perpetua lætitia cantantium, inter quos dignetur benignissimus Dominus Scriptorem ac Lectorem aliquando connumerare.

CAPVT III.

*Hymnorum cultus omni electæ
victime præstat.*

AD Hymnodiaæ comprobendam dignitatem plurimum conferet cognitio æstimationis ipsius apud Deum: quæ enim à Deo, qui vniuscuiusque rei veram possidet notitiam, habentur in æstimatione, magna esse & dicere oportet. Si sacros consulimus Libros, in quibus testata reliquit Deus sui cordis arcana & sensus, reperiemus Hymnodiam apud Deum præstare dignitate & valore omnibus cuiuscumque generis Sacrificiis, victimis, holocaustis, oblationibus & donis. Imò innuere videtur Deus ipse, nil aliud à nobis sibi posse gratius reddi quàm Hymnos & laudes. Id protestatur per Hymnographum dum ait, nec vitulos, nec hircos, nec iumenta, nec volatilia sibi placitura æquè ac Hymnos & laudes: & cum omnia singillatim Sacrificiorum genera expressisset, in quibus antea se iucundissimè delectari indicabat, concludit, quòd, etiamsi omittentur illæ oblationes, & sola ei offerretur laudatio sincera, ipse hac sola contentus, nil aliud ab homine exigeret, aut expeteret ad sui honorem. Verba ipsius aperta sunt & clara: *Immola Deo Sa-* Psal. 49.
cificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. quod iisdem iterum verbis, ad maiorem animi sui expressionem, & ad validiorem in nobis impressionem, concludens totum Psalmum, asserere non dedignatur, *Sacrificium laudis honorificabit*

*Hymnorum
usus magnè
æstimatur
à Deo.*

*Hymnodia
omnibus
præfertur
Sacrificiis
à Deo.*

rificabit me. quasi dicere volens, hunc solum honorandi modum esse verè vnicum, verè sibi præ omnibus dilectum & carum, imò instar omnium qui ad Dei honorem possent ab homine excogitari.

D. August. Expendebat sanctus Augustinus ad hanc rem in Psal. 55. illud Dauidicum pronuntiatum, *In me sunt Domini*

vota tua, que reddam, laudationes tibi; docebat quæ ex hoc textu, magis esse placitas Deo laudationes quæ de ara cordis caritate accensi offeruntur, quam omnia externa, licet magna & pretiosa:

Iob Hymnis suggerens casum sanctissimi Iobi, qui licet dum *Deum coluit & Sacrificiis.* viueret felix, quotidie Deo solitus esset offerre Sacrificia insignia, numquam tamen apud Deum ipsum tot laudes & merita sibi est consecutus, quot, postquam diaboli astu & opera spoliatus omnibus bonis, ex arca sancti pectoris, quam fur diabolus non inuaserat, diuitiis interioribus plena, laudes Deo gratissimas pro Sacrificiis obtulit

Iob 1. dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* & ob istas laudes tantam apud Deum æstimationem acquisiuit, vt propositus sit tamquam præcipuorum Heroùm idea & exemplar.

Nullum illustrius diuinæ complacentiæ prorecta Hymnodia testimonium potest afferti quam illud Dauidicum: *Placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem & ungulas.* ostendit namque, quòd selectiora Sacrificia comparari non valent Hymnorum oblationi. Licet gratissima essent Deo Sacrificia ex pinguibus vitulis adhuc lactentibus & pubescentibus, vt verbis vtat diui Augustini, qui legit, *vitulum pubescentem,* nam à solis ditioribus huiusmodi electa animalia poterant

Psal. 68.

poterant reperiri; nihilominus cariora sibi declarat Deus Sacrificia Hymnorum, quæ à lætis cantoribus sibi offeruntur. Quod namque ibi sermo sit expressus de Hymnorum cantu, à nemine id potest in dubium renocari, cum sit luce clarius meridiana: nam immediatè ante ista verba, *Placabit Deo super vitulum nouellum, &c.* promiserat Hymnographus sanctus conceptis verbis iugem diuinarum perfectionum cantum, dicens: *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.* Proinde sanctissimus David multus est ac frequens in huius mystici Sacrificij adhortatione, modò asserens opus psallendi esse Deo bonum, *Confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est,* Psal. 53. modò addens non solùm esse bonum, sed & decorum & iucundum: *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus, Deo nostro sit incunda, decoraque laudatio.* quod clariùs ab aliis legitur: *Quoniam bonum est canere & psallere Deo nostro, quoniam decora & incunda est laus.* Congrua sunt quæ scripsit ad hoc institutum Lactantius Firmianus, cuius sententiam non pigebit summatim colligere. Ait itaque, non ebur Deo castum donum esse (sicuti etiam à Platone assereretur) non picta & texta pretiosa, non quidquid surripi corrumpiue potest, non incorporeo corporea munera conuenire. Non immolationibus & sanguine multo (vti aduertebat etiam Seneca) colendum Deum, sed mente pura, bono honestoque proposito. Addit, si quis templa, vestes, gemmas, & alia quæ habentur à nobis in pretio, putaret Deo cara, istum planè nescire quid sit Deus. Concludens itaque asserit, Deo offerendum esse donum integritatis animi in perpetuum, & Sacrificia ad
tempus,

Lactant.
Firm. l. 6.
c. vlt.

Omnia pretiosiora externa postponuntur

Hymnorum oblationibus.

tempus, non animalium, sed Hymnorum & laudationum; quod auctoritate comprobatur Trifone gisti, qui tradebat, Deum præcipuè coli & adorari gratiarum actionibus & benedictionibus. Tandem docet, summum Dei cultum in eo consistere, quod iustus homo ore & Hymnis Deum concelebrat.

Philol. de
Vict. offeren.

Pulchrè in eandem rem Philo scribit, Deum non gaudere Hecatombis, cum sit cunctarum rerum Dominus, nec ullius rei sit indigens, sed magis velle pias mentes, quæ offerant Hymnis in gratiarum actionem. quanto namque præstatur aurum lapidibus communibus, & adytum est excellentius vestibulo, tanto est acceptior suffragium gratiarum actionis, quàm mactata victima. Tanto æstimatur à Deo hominis Hymnodia, ut afferere audeam, nos homines conditos ab omnipotente Creatore ad hunc præcipuum finem fuisse, ut illius operum mirabilium effecti spectatores Hymnis celebraremus & coleremus eius maiestatem, omnipotentiam, sapientiam, bonitatem & naturam. Fauet huic sententiæ S. Patris

Homo creatus est ut Deum laudaret.

S Chrysoft.
Homil. in
Psalm. 116.
apud Sixtum
Senens. in
Bibl.

Chrysofomi elegans doctrina, quam tradit in Psalmum 116. his verbis: *Nihil à nobis æquè requirit Deus ac laudes & gratiarum actiones; propterea enim animam nobis inspiravit, rationales nos fecit, & à brutis lingua discrevit, ut eum laudemus, celebremus & iugiter glorificemus: non quod ipse opus habeat nostra laudatione, sed ut nos doceat gratos esse, & agnoscere tantorum bonorum suppeditatorem, & ut, quidquid lucri ex ista celebratione fit, ad nos redeat, & dignos faciamus semper maioribus subsidiis.*

Non erit abs re huc transferre quamdam lepiddissimam

diffimam fictionem descriptam à Philone, quam ipse appellat fabellam antiquam, quoniam licet fabula sit & figmentum ingeniosum, non carebit tamen utili aliqua doctrina ad rem nostram valdè opportuna. Ait itaque, se audiuisse circa mundi huius visibilis formationem hanc narrationem, quòd cùm Deus absoluisset totam mundi machinam, aduocarit ad se vnum ex Prophetis, illum interrogas, an aduerteret aliquid adhuc creandum desiderari; cui responderit Propheta acutè, desiderari vnum laudatorem. Fictio inquam est, sed à veritate non discrepat omnino; desiderantur enim laudatores, quando homines aliqui non respondent fini suæ conditionis, nec opera Dei considerant, nec Deum patratores optimum Hymnis celebrant & colunt.

Dixerim quasi, quòd videns Deus suam intentionem in plerisque hominibus irritam succedere, ideò conuerterit animum ad genus hominum peculiare, quos eligeret, & quasi speciali quadam noua creatione formaret, vt eius decantandis laudibus, quibus vehementer delectatur, perpetuò vacarent. Homines istos nouiter creatos dico Ecclesiasticos ministros, qui ratione status ad Hymnodia frequentem vsu sunt deputati. De quibus felicibus hominibus non incongruè intelligi potest locutus Deus per Prophetam Isaiam, dicens: *Populum istum formauit mihi, laudem meam narrabit.* quæ Prophetica prædictio nulli populo commodius potest aptari quàm Ecclesiasticis personis, præsertim Religiosis Ordinibus Hymnodia studiosis. Hos videtur formasse sibi Deus noua ac peculiari creatione, nempe noua ac singulari vocatione, dum eos illuminauit & elegit,

Philo I. de
Plantar.
Noë.
*De mundi
creationis
sine elegans
fabella an-
tiqua.*

*Ecclesia sti-
ci sunt à
Deo electi
ad suas lau-
des susti-
nendas in
terris.*

Isaia. 43.

gir, vt sibi statuerent tamquã præcipuum munus
Hymnodiaẽ vsum, & publicum cantum in choro
& noctes diesq; Hymnis decantandis vacarent.
O verè felicem populum, qui talem meruit
Deo omnipotente formationem seu electionem
populum dignum benigna Dei protectione,
lectione & fauore! proteget absque dubio Deus
diliget, fauebit, & fouebit, si muneri nostro
renti nos Religiosi numquam laudes eius deser-
mus. Non deserit Deus, nisi ipse priùs deserat
à nobis.

*Benedictio-
nes diuina
super pios
psallentes
parata.*

Nec solus Isaias de hoc felici populo est locu-
tus, sed prior prædixerat eiusdem priuilegia
ctus Hymnographus, describens benedictiones
diuinas super istum populum paratas, quam
munus Hymnodiaẽ rectè expleffet. Primò nu-
rat, ioculum Dei benignum futurum super quos-
dam homines, nec vñquam vacuam futuram
rum orationem; deinde prosequitur ipsorum
mam fore celebrandam omnibus venturis sæcu-
lis; tandem eos insignit nomine populi noui
creati siue formati ad diuinas laudes celebrandas.

Psal. 101.

*Respexit Dominus in orationem humilium, ecce
spectus oculorum benignus; & non spreuit
cem eorum, ecce orationis fructus. Scribantur
in generatione altera, en famæ euulgatio; populus
qui creabitur, laudabit Dominum, ecce designatio
& nomen eorum de quibus est sermo.*

*Clerici vn-
de nomen
sumptum.*

Hanc felicitatem cognoscentes, magnum reputant
beneficium se electos esse in sortem eorum
(quod significat nomen Cleri ijs datum qui
Deo in Ecclesia consecrati; clericos enim Graeco
Latinè fors dicitur) qui ad laudes Dei celebra-
das sunt destinati. Quod inde maius excreuit

ad hanc sortem electi in ea confirmantur in perpetuum, ne deficient, néve vñquam in ea defatigati lassentur. Nouimus Hymnographum nostrum Deo altissimo peculiare reddere gratias & laudes, ob hanc sibi collatam firmitatem, & concessam gratiam perseuerandi in Hymnis & confessionibus sine fastidio aut tædio offerendis in perpetuum, quemadmodum asseuerat in conclusione Psalmi 65: qui cùm totus sit in celebranda potentia, sapientia & bonitate Dei, concludit tandem solemni benedictione ad Deum directa, quia in ipso laudando & exorando numquam se lassum cognouerit, pronuntians se id ab eius gratia & misericordia acceptum cognoscere: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam & misericordiam suam à me.* Vir iste omni memoria dignus sicut Hymnodia præstantiam possidebat, ita erga illius vsum & in se ipso & in alijs omni studio fuit semper frequens. Nec solùm auctor voluit esse Hymnorum futuris temporibus decantandorum, sed quamuis esset Rex tam gloriosus & bellicosus, non tamen dedignatus est ad Dei honoré designare ministros, qui in Templo mox futuro Hymnos perpetuò decantare deberent, imò nec dedignatus est docere Leuitas musicas modulationes Hymnis suis opportunas; quod obseruauit & luculenter descripsit, tamquam rem in maximo Rege verè magnam, Iosephus his verbis: *David perfunctus iam bellis ac periculis, & in altissima pace degens, instrumentis musicis comparatis, docuit Leuitas ad pulsum eorum laudes Dei decantare tam in Sabbatis diebus quàm in ceteris festiuitatibus.* Mira certè & exemplaris dignatio in Principe magno, qui verum di-

Magnū est beneficium electio ad Dei laudes frequentādas.

Psal. 65.

David docuit Leuitas Psalmorum cantum.

Ioseph. l. 7. Antiq. c. 10

C

uini

uini honoris zelatorem se mundo ostenderet
declararet.

*Deus igne
comprobare
solitus erat
Sacrificia
antiquorū.* Solebat quondam Deus signa visibilia ostende
re super Sacrificijs priscorum Patrum, vt corde
sui complacentiam declararet, signumq; frequē
tius erat ignis emissio è cælo, quo certè signū
S. Hier. 8. credunt pleriq; Doctores sacri declarasse Deum
Chryl. Pro- suam voluntatem super innocentis Abelis Sacri-
cop. in ficio, de quo dicitur: *Respexit Dominus ad Abel*
Gen. cap. 4. & *ad munera eius.* vnde Theodotion ibi legitur
Theodot. *Inflammanit Dominus super Abel, & Sacrificium*
eius. Eodem signo pluries deinceps vsus est super
Iudic. 6. & alijs Sacrificijs sibi gratis, vt i Gedeonis, Manu
13. Aaronis, Eliæ, Dauidis, Salomonis, Nehemiae.
Leuit. 9. in nostra Ecclesia, quando non figuram, sed ve
3. Reg. 18. ritatem apertam possidemus, declarare solet Deus
1. Par. 21. suam voluntatem & complacentiam erga Hym-
2. Paral. 7. nodiam non mysticis, sed apertis signis & expres-
2. Mac. 1. sis effectibus. Nam de Paulo Apostolo & Sil-
Actor. 16. eius socio proditū est, quòd dum alta voce Hym-
*Comprobat
Deus Psal-
morū usum
varijs si-
gnis.* nos Deo dicerent inuicem in carceribus positi, ce-
tenæ & vincula resoluebantur, & ostia omnia
carceris referabantur. Singulare quoque signum
erga psallentes Religiosos voluit exhibere De-
para Virgo Maria. Dum enim Religiosi in Ec-
clesia Hymnum illum deuotissimum *Salue Re-*
Humbert. *gina* cantarent, quando ad ea verba, *Eia ergo ad-*
1.6. Instit. *uocata nostra*, perueniebatur, videbat quidam
p.4. cap. 8. *Beata Virgo*
Deipara si-
gnum be-
neuolentia
exhibet pijs
cantantibus
Salue Re- *gina.* vir Religiosus beatam Virginem flexis genibus
commendantem Filio suo Ordinem, quemadmo-
dum referre solebat Humbertus Ordinis Prædic-
catorum Magister, vir pietate & religione infi-
gnis. Quis itaque dignitatem & præstantiam hu-
ius Hymnodia non admirabitur ac diliget?

Tantam

Tantam dignitatem cognouerunt, qui omne studium in recto illius vsu collocare non omittebant. S. Benedictus, Monachorum in Italia ac in toto Occidente egregius reparator, & magnus propagator, Hymnodia appellabat *opus Dei*; Monachis que suis suadebat quibuscumq; alijs rebus praeferendum, vti re ipsa, non sine magno Ecclesiae fructu, in illo Ordine praefertur. Qui autem non agnoscunt hanc dignitatem, sicut eius nec degustare possunt suauitates, ita durum sibi reputant impositum onus soluendi aut grauem pensionem, aut vectigal intolerabile, quando ad chorum accedere tenentur. Istis ego suaderem, vt frequenter Deum exorantes, vsurparent breuem illam orationem ab Hymnographo traditam, *Am-puta opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia iudicia tua incunda*; tamdiu eam iterantes, donec à Deo caelesti collustratione & auxilio dignentur. Nam verè sola oneris suspicione affliguntur, cum tamen re ipsa onus non sit Hymnodia, sed iucunditas & consolatio, & munus altissimum, imò Angelicum, vt mox videbimus.

Grave tributum reputatur Hymnorum cantus ab aliquibus.

Psal. 118.

C A P V T IV.

Hymnodiam opus esse Angelicum.

DE Dauidicis Hymnis loquens D. Basilius, D. Basil. Procem. in Psalm. vt illos commendat, inter alia encomia tandem profert: *Psalmus est Angelorum opus.* Quod pronuntiatum sicut est verum, ita promptas facileq; habet probationes, quas in hoc Capite perstringemus. Angelorum itaq; opus dicemus Hymnodiam, quia ab Angelis vsurpata; & quia ab

C 2 Ange-

Angelis ad homines deriuata; demum quia Angelorum induunt officium Hymnodia studiosi.

Angeli vsi sunt Hymnis.

Ab Angelis itaq; primò vsurpatam dixi Hymnodiam: nam consona est omnium sanctorum Patrum & Doctorum Græcorum & Latinorum sententia, quòd Angeli statim ac conditi fuerunt cum propriam pulchritudinem contemplati essent, ceteraq; Dei opera contuiti, orbis præsertim cælorumq; & astrorum mirabilem constructionem & concentum, non solùm obstupuerunt sed præ admiratione Hymnos vocesq; gratulatorias & plausus edere cœperunt. Id colligunt ex confessione Dei cum suo patientissimo Iobo lo-

Iob. 38.

quentis, & dicentis: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, ecce prima orbis fundatio; cum m laudarent astra matutina, en astrorum & cælorum*

Angeli creati sunt ante hominē.

conceptus; & iubilarent omnes filij Dei: en Angelorum laudes: de Angelis enim loqui intelligitur nomine filiorum Dei, vti clariùs exponitur tum à Chaldæo vertente, & iubilarent omnes ac-

Angelorum; tum à Septuaginta legentibus, & iubilarent *Angeli mei.* quasi dixerit Deus Iob: Nondum erat homo vllus, quippe qui post omnes creaturas fuerit vltimo loco formatus, aderat

Angeli sūt primi cantores diuinarum laudum.

tamen Angeli laudantes & celebrantes meam magnitudinē & perfectionem (nam, iuxta omnium Theologorum sententiam, vnà cum sublimioribus corporeis substantijs cælorum fuerē Angeli à Deo producti;) isti Hymnis me celebrarunt, isti sunt primi cantores mearum laudum. Nec vquam deinceps aut destiterūt aut defecerunt Angeli beati, sed sine intermissione perseverant in omnem æternitatem, concinentes trisagion Hymnum, *Sanctus, sanctus, sanctus,* vti audire licuit sanctissimo

Isaia 6.

sanctissimo Prophetæ Isaia in veteri Testamen-
te; & post multa sæcula ostensum fuit dilecto
Christi discipulo Ioanni in sua Apocalypsi, qui ^{Apoc. 4.}
obseruauit irriquietos esse in hac Hymnodia An- ^{Angeli sine}
gelos sanctos: *Requiem*, ait, *non habebant die ac* ^{requie can-}
nocte, dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus. Irre- ^{tant Hym-}
quietos eos vocat in Hymno dicendo, quia, vti ^{nos Deo.}
optimè addit D. Damascenus, *hæc erat ipsorum* ^{D. Damas.}
requies. Quasi dicere volens, quòd Angeli non ^{l. i. Fidei}
laborem, sed requiem experiebantur in continua ^{cap. 16.}
Hymnodia perseverantia. Quia autem Hymnus
iste à Seraphinis prolatus audiebatur, D. Cyril-
lus Ierosolymitanus loquens de eo, ipsum voca-
bat Seraphicam Theologiam hominibus com-
municatam ad nostram vtilitatem. *Propterea, ait,* ^{D. Cyril.}
traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam, San- ^{Catech. 5.}
ctus, sanctus, sanctus, recitamus, ut in illa celesti ^{Mytagog.}
Hymnodia cum supramundana militia communice-
mus, per huiusmodi Hymnos nos sanctificantes.

Hinc omnes Patres sumpturunt occasionem di-
cendi ab Angelica Hierarchia ad Ecclesiasticam
nostram Hierarchiam, quod secundo loco pro-
bandum asserebam, esse deriuatam Hymnodiam
alternis choris vsitatam. Nam Seraphini illi a- ^{Alternus}
pud Isaia auditi sunt alter ad alterum canentes, ^{cantus ab}
Sanctus, sanctus, sanctus, inuicem se ad Dei lau- ^{Angelis}
des prouocantes. Quæ forma canendi cæpit in ^{primò au-}
nostra Ecclesia frequentari libentiùs, ob aliam ^{ditus.}
Angelicam Hymnodiam in visione communica-
tam sub initiù ferè nostræ Ecclesiæ sancto Igna-
tio illustrissimo martyri, Antiocheni Episcopo,
sancti Ioannis Apostoli discipulo, qui cum alijs
Apostolis non semel habuit cõsuetudinem. Huic
præclarissimo viro ostensi sunt Angeli cælestes

Alternus cantus inter homines Christianos quando coepit.
 Georg. in Vita S. Chrysoft. Socrat. l. 6. cap. 8. Trip. l. 10. cap. 9. Niceph. l. 13. cap. 8. D. August. l. 9. Confes.

canentes Dei trini laudes alternis vocibus, uti celebriores Historiæ prodiderunt. Ex qua visione motus Apostolicus vir Ignatius, formam illam canendi in Angelis cognitam obseruandam tradidit suis Antiochenis, quibus præerat, indeque paulatim fuit per Orientem propagata, & ex Oriente in Latinam Ecclesiam ab Ambrosio promoum, ad suæ Mediolanensis Ecclesiæ religionem institutionem, uti refert S. Augustinus, fuit translata, postea ad ceteras Occidentis Prouincias, tandem ad vniuersam Ecclesiam fuit decreto Damasi Pontificis maximi dilatarata.

Imò, si res ista subtiliùs examinetur, forte multò ante modò narratam D. Ignatij visionem reperiemus, Angelos sanctos iam fuisse nostræ Ecclesiæ primos communis Hymnodii instructores ac exemplar, haud sine approbatione, meliùs dixerim, haud sine expresso Regis Angelorum & hominum, nempe summi Dei, decreto. Quòd namq; initio nascentis Ecclesiæ sancti Angeli exemplum præbuerint cantus Hymnodii in honorem & laudem Dei, facile constabit, si recolamus suauissimum illum ac summa exundantem lætitia Hymnum, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; quem eadem nocte, qua prodijt ex purissimo sanctissimæ Virginis genitricis vtero vnigenitus æterni Patris nostra carne indutus, nouimus cantatum non ab vno solo Gabriele, qui fuerat pastoribus annuntiator nati Saluatoris, sed vnà à ceteris omnibus, qui eidem Gabrieli adiuncti & in choros diuini canere cœperunt, *Gloria in altissimis Deo*, &c. quemadmodum luculenta narratione descripsit S. Euangelista dicens: *Et subito facta est cum An-*

Angelicus cantus in Christi Natiuitate.
 Luc. 2.

gelo

gelo multitudo militia celestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra, &c. Animare voluerunt Angeli sancti nascentem tunc Ecclesiam ad sustinendū pijsimum illum Hymnodix publicæ vsū, quem feliciter cœptum sustinuerat ac coluerat antiqua Ecclesia. Quod item decretum approbantis, imò iubentis Dei, non defuerit, sed adfuerit, testatum nobis reliquit fidelissimus arcanorum Dei cognitor & nuntius Paulus Apostolus, dum de hac Verbi diuini temporali Natiuitate differēs scripsit in hæc verba, *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent (ecce decretum) eum omnes Angeli Dei.* Cuius decreti verba olim præuiderat, ac prædixerat Hymnographus canens: *Adorate eum omnes Angeli eius.* Adorauerunt, inquam, & colerunt Angeli sancti, audientibus hominibus mortalibus, Filium Dei incarnatū Hymnis & confessionibus gratissimis. Neq; dubium cuiquā esse debet de forma Angelici huius cantus, num scilicet fuerit alternis expletus choris, id namq; apertè colligitur ab illa voce *militiæ*, vsurpata à S. Euangelista. Hæc vox apud rei militaris peritos infert ordinatam acierum distributionem, alioquin non *militiæ*, sed multitudinis nomine rectiùs diceretur. Verum adhuc omnem aufert rei huius dubitationem communis sensus Ecclesiæ, quæ læta recolens in Natalitijs annuis Domini nostri Iesu Christi hos Angelicos cātus, declarat chori formam adhibitam fuisse: nam, introducens pastores cuidam factæ interrogationi respondentes, vsurpat hæc verba: *Natum vidimus, & choros Angelorum laudantes Dominum.* Quod itaq; Euangelista asseriit verbo *militiæ*,
 C 4 explicat

Heb. 1.

Psal. 96.

explicat Ecclesia nomine chori; quia videlicet singuli chori cuiusque Hierarchiæ Angelorum, modò vnus, modò alter, modò omnes dicebant. *Luca 2.* *Gloria in altissimis Deo, &c.* aliasque lætitiæ laudes concinebant. Quo cantu prouocarunt Angeli sancti ipsos pastores, quamuis rudes, ad similitum laudum prosecutionem; reuertentes enim ad proprios greges, præ lætitia laudare Deum eumque glorificare audiebantur, vt narrat sacra Historia.

*Pfallentes
Angeli esse
deberent
imitatione.
D. Chry-
sostom. in
Psal. 112.*

Et sicut Angelos imitamur in forma cantus, in Angelum esse oporteret Hymnodia studiosum, Angelum inquam non natura, cum id fieri nequeat, sed imitatione vitæque puritate, vt egregiè tradebat beatus Chrysostomus dicens: *Oportet Angelum fieri, & ita laudare: ante os nostram vitam nostram Deum laudet.* Expendebat aliquando sanctus Doctor causam cur Psaltes Regius, dum vellet Deum maximè laudatum, inuitando ad

*Psal. 148.
Angeli primi
omnium
inuitantur
ad diuina-
rum lau-
dum can-
tum.*

opus omnes omnino creaturas, vt Psalmo 148. explere conatur, initium sumat primò ab Angelis in cælo residentibus, deinde creaturas alias cælestes materiales, tandem creaturas quascumque sub cælo degentes, dicens: *Laudate Dominum in cælis Angeli & Virtutes, deinde sol, luna, stellæ cæli; tandem descendit ad terræ dracones, abyssos, populos, Reges, &c.* cum potius debuisset initium sumere ab inferioribus, & paulatim procedere ad superiora, iuxta naturæ ordinem. Respondet beatus Chrysostomus, voluisse Dauidem ab Angelis ducere principium, vt inde intelligerent homines se non posse dignè vsurpare diuinos Hymnos, nisi prius habeant Angelos sibi propofitos ad imitationem.

Hymnodiam itaque piè recteque exercentes
homines

homines Angelorum nomine decorantur, Angelorum item societate dignantur in ipso opere Hymnodia; non enim cum psallentibus mortalibus dedignantur ipsi immortales vnà psallere, aliquando etiam præcinentes prouocare nos ad psallendum. Testatur hoc insigne priuilegium diuus Bernardus imitans Dauidem dicentem: *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus*. Quem locum intelligit de Angelis nomine Principum; quia veri sunt Principes cælestis Monarchiæ. Expendebat sanctus Doctor illam dictionem *coniuncti*, quæ vnionem importat, quia Angeli vnà cum psallentibus hominibus vniantur; deinde aliud verbum, *præuenerunt*, quo significantur Angeli quandoque ductores esse Hymnodia, prouocantes ad psallendum. Concinit visio illa, de qua scribit Cassianus de Angelo qui inter Monachos conspiciebatur, vt eos psallere doceret: à quo Psalmi duodecim, per totam Ægyptum in horis nocturnis & diurnis vsurpati, fuerunt tunc traditi. Eidem veritati præbet testimonium diuus Chrysostomus dicens, *Psallentibus ad stare Angelos magno audientes cum silentio, & postquam cesserit Psalter, applaudantes, laudantes, adorantes*. Imò alibi expendens verba illa Hymnographi, *In conspectu Angelorum psallam tibi*, vim facit in illa dictione *in conspectu*, quam textui Hebræo insistens interpretatur *è regione*; vt sensus sit: Tibi psallam è regione Angelorum, qui quasi vnum faciant chorum ex altera parte canentes, dum homines alterum chorum ex alia parte respondentes efficiunt. Quod agnoscens Ecclesia, vt Hymnos suos gratiores Deo queat offerre, sicuti optat hanc sanctorum Angelorum dignationem & vnionem,

Angeli cum psallentibus hominibus psallunt.

Psal. 67.
D. Bern.
Serm. 7. in
Cant. &
Epist. 78.

Cassian.
l. 2. Instit.
cap. 5.
Angelus inter psallentes visus.
D. Chryl.
in Psal. 4.
& 137.

Angelorum societatem in precibus postulat Ecclesia.

ita supplex quotidie exorat Deum, ut digna reddatur vnà cum hisce sociis decantare & prædicare Hymnum diuinæ gloriæ, dicens: *Cum quibus & nostras voces, ut admitti iubeas, deprecamur.* aliàs autem, tamquam admissa ad hanc societatem, dicit: *Ideo cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militiæ celestis exercitus Hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus.*

Appello nunc vos quotquot Deo nostro laudes psallendo canitis, vosque felices prædico; qui digni estis cælestium Spirituum societati adiungi in opere tam sublimi, quale est munus laudandi Deum omnium Dominum Hymnis & cantu. Appellabo in posterum Angelos mortales carne circumdatos, cum Angelis immortalibus & immaterialibus sancta æmulatione contendentes in Hymnis & confessionibus Deo deorum concinendis. Quoties Ecclesiasticorum psallentium capitula, Religiosorum præsertim vtriusque sexus Ordines, considero, tot mihi videor aspicerere agmina Angelorum terrestrium agminibus associata cælestium Spirituum, qui communi Deo deseruientes, Ecclesiam à malignorum Spirituum insidiis & conatibus tueantur illæsam, eamque pulchriorem ac venustiore reddant, iuxta illud Epithalamicum elogium: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Quod de Ecclesia in terris militante & Deum laudante intelligunt Doctores sub nomine Sulamitis, quæ perfectam significat. In hac Sulamite tot sunt chori castrorum, quot Religiosi Ordines vtriusque sexus in choro alternatim Deo psallentes.

Multis profectò nominibus laudandi sunt Religio-

Chori psallentium agmina sunt Ecclesia.

Cant. 7.

ligiosorum Ordinum Auctores, ob multiplicia *Religionum*
 bona ab institutis eorum Ordinibus in Dei ho- *Institutores*
 norem exhibita; sed ob id præcipuè eos veneror, *Angelorum*
 quia huiusmodi institutione tot Angelos terre- *terrestrium*
 stres Deo genuisse videntur, quot personas ad *mysticam*
 perfectam vitæ præscriptæ rationem perducere *generatio-*
 studuerunt, quæ diuinas laudes die noctuque *nem funda-*
 cantu celebrarent. Ego ob hanc causam præcipua *rum.*
 veneratione colui Antonium Mariam Zacariam *Clericorum*
 nostri Ordinis Auctorem, vnà cum duobus sibi *Regulariū*
 adiunctis eiusdem consilij & sanctitatis sociis, Ia- *S. Pauli in-*
 cobe Antonio Morigia & Bartholomæo Ferrario, *stitutio, &*
 quem non solius honoris causâ, sed veritatis amo- *Fundatores.*
 re, Angelicum virum appello; tum propter An-
 gelicas vitæ suæ dotes, proinde etiam Angelis cæ-
 lestibus valdè familiarem, quia, sicut proditum
 est, ipsi primum sacrum Mysterium ad Altare fa- *In Vita ico-*
 cienti vili sunt Angeli cælestes lumine singulari *nibus im-*
 coruscantes adstare; tum quia ineunte sæculo *pressa.*
 proximè elapso consilia & operam direxit ad hanc
 nostram Regularem Clericorū Congregationem
 Mediolani sub propriis statutis & constitutioni-
 bus (vt fuit rectè obseruatum ab Episcopo Sca- *I. Felician.*
 lensi, non autem sub Regula diui Augustini, vt *Episc. Sca-*
 nonnulli ex aliis Ordinibus, qui de alienis rebus, *lenf. in En-*
 quas minimè nouerunt, aliquando scribunt) in- *chirid. tit.*
 stituendam sub nomine D. Pauli Apostoli, quæ *de Priuil.*
 vtrumque vitæ genus, actiuosæ scilicet & contem- *cap. 10.*
 platiuæ, complectens, sicut prædicando, docen-
 do, Confessiones audiendo, Sacramenta mini-
 strando, proximos ad vitam æternam adipiscen-
 dam adiuuaret, ita oratione, contemplatione &
 Hymnodia Deo vacaret, prouidens, ne alterutra
 exercitatio vnquam languesceret, sicuti, Deo
 dante,

*Ordo Clericorum
Regulariū
S. Pauli
confirmatus fuit à
Clemente VII. anno
M. D. XXXIII.*

*Antonius
Maria Zaccaria
Angelicas Mōniales
dirigit.*

dante, ad hanc vsque diem, centesimo suæ primæ Apostolicæ confirmationis anno proximam, floruit in sui Ordinis alumnis, qui à vulgo dicti sunt Barnabitz, ab Ecclesia sancti Barnabæ, apud quam præcipuum fuit Ordinis istius domicilium adeoque inualuit hoc vulgare nomen, vt alterum Paulinorum, quod vnicum esse debebat, non solum vsurpauerit consortium, sed ferè obtinuerit primatum; tum insuper quia non contentus venerabilis Vir huius Clericorum institutionis, eodem tempore Virgines ad eandem vitæ Regularis formam instruxit & direxit, præsertim sacre Hymnodia impensè assiduas, quas, nomine præclarum animi sui consilium accommodat, voluit appellari Angelicas; prout hodie, appellantur, angelicè viuentes apud D. Pauli Cœnobium non sine magno vrbis Mediolanensis exemplo & ornamento, à quibus aliæ deinde Mōniales Angelicæ, tamquam riuus ab eodem fonte derivatæ, sub directione eiusdem instituti condecorant Cremonam, eiusdem Angelici beati viri patriam, apud diuæ Marthæ Cœnobium. Instituit tandem etiam laicorum hominum Societates, qui perfectioris vitæ cupidi, Festis diebus conuenire studebant ad pia in nostris domibus virtutum & humilitatis exercitia, præsertim ad pias laudes & Hymnos Deo & beatæ Virgini Matri alternis choris offerendas, vt Angelorum occupationes æmulantes, sanctè excolerent ac transigerent dierum festiuitatem. Hisce operibus præclarus Vir à Deo electus, ab anno trigesimo tertio, & citra, supra millesimum & quingentesimum ardentis studio deditus erat, insigniorum hominum illius temporis sibi concilians admirationem & amorem;

rem; ita vt de ipso, tamquam de nouo Sidere non solius militantis in terris, sed & triumphantis in cælis Ecclesiæ, pronuntiare non dubitauerit Seraphinus Firmanus, ex Ordine Canonorum Regularium, qui suæ ætatis dicebatur, & verè fuit, Concionator Apostolicus, & piissimorum Operum Scriptor insignis, pronuntiare, inquam, non dubitarit, vti de intimo amico, imò & in spiritu Patre, quòd post mortem iam exornaret cælestium Beatorum patriam, quemadmodum mortalis prius exornabat viatorum terram. Huiusce egregij viri suauissimam recolere libuit memoriam, tum ne Parenti optimo ingrati videamur, quando rei opportunitas ad illum quodam modo cogat, dum de Religiosorum Ordinum Institutoribus incidit sermo; tum vt nos ipsos ad vitæ Angelicæ imitationem aliquando prouocemus; tum denique, vt ex huius nostri Institutoris descripta conditione, quilibet alius Religiosus, cuiuscumque sit Ordinis, ad suos Parentes gloriosos recordationem & animum reflectat, cum omnes fuerint à Deo electi ad eiusdem manifestandam gloriam, & Ecclesiæ suæ sponsæ mirabilem varietatem stabiliendam & amplificandam.

Eniti igitur studeamus, vt quorum sumus in spiritu filij, actionum etiam & virtutum Angelicarum assequamur aliquando imitationem. Sæpè nobis ipsis tandem suggeramus, quòd in Hymnodia vlti sicut sumus Angelorum cælestium socij, & Angelorum subimus officium; ita par est ad Angelicas contendere perfectiones, certi, quòd ab ipsismet Angelis tamquam socij cognoscemur, & ad omne bonum incitabimur & adiuuabimur, vt ab Hymnodia terrestri ad cælestem Hymnodiam

Seraphin.
Firm. initio
Probl. de
Orat.
Seraphinus
Firmanus
Canonicus
Regularis
vir fuit A-
postolicus.

diam perpetuò continuandam cum ipsis feliciter
& læti transeamus.

CAPUT V.

*Altissimas Dei laudes exercet
Davidica Hymnodia.*

*Vates Graeci quando
floruerint.*

MULTI fuere ex priscis Vatribus qui in Graecia circa Davidis tempora Hymnos scripserunt, vti Linus, Amphion, Orpheus, Musæus, potiùs Theologi quàm Poëtæ habiti, qui Hymnis Dei laudes cecinerunt. Hymnus ex diu

D. August. Augustinus, *est cantus Dei laudes continens; si
in Psal. 72. laus, & non Dei, non est Hymnus; sit sit laus, &
Dei laus, & non cantetur, non est Hymnus.* Sicut
itaque Græci illi Hymnos scripserunt, ita Dei ce-

cinerunt laudes. Verumtamen omnibus Hymno-
graphis præstat sanctus David solus tum numero,

David om- *nibus præstat Vatribus.*
Numerus Davidicorum Hymnorum, frequen-
tiori Doctorum calculo, comprobatur ad cen-
tum quinquaginta in Psalterio contentos perue-
nire, ad quem numerum nullus priscorum Va-
tum accedere valuit; quod eò magis admirandum

D. Chry- *soft. Prol. in Psalm.*
iudicabitur, si vera esset D. Chrysofomi opinio
dicentis, plures alios Psalmos fuisse à Davide
compositos, quos S. Athanasius ad numerum
D. Athan. *in Synopsi, sub finem.*
trium millium perducit, putans id colligi posse
ex libris Paralipomenon, sed temporum iniu-
ria, ait D. Chrysofomus, vel amicorum Eze-
chiæ Regis opera, ait Athanasius, plures eorum
interiisse.

Psalmorum origo à Deo. Hi Hymni originem suam cognoscunt & tra-
hunt

hunc non ab humano sensu, quemadmodum
 Hymni Græcorum Vatum, sed ab eodem vnico
 fonte Deo, à quo omnes sacræ Scripturæ deri-
 uantur; nam Spiritus Dei summi lingua uteba-
 tur Dauidis tamquam instrumento, siue, vt cum ^{Dauidis}
 ipso Dauide loquamur, tamquam calamo ad pro- ^{lingua fuit}
 mendas Dei laudes electo: *Lingua mea calamus* ^{calamus}
scriba, velociter scribens. vbi glossa D. Basilij re- ^{Spiritus}
 ctè explicat, quòd lingua ista tincta fuerit non ^{sancti.}
 atramento, sed Spiritu Dei viuientis. Numquam ^{Psal. 44.}
 Hymnos loquebatur Dauid, nisi Spiritu actus di-
 uino, ea tantùm eructans quæ propinante Deo al-
 tè hauriebat. Ideò Christus Dominus, Dauidis
 testimonium ex Psalmis producturus, vt myste-
 rium, de quo agebat, Iudæis comprobaret, ait
 Dauidem locutum esse in Spiritu, dicens: *Quo-* ^{Matth. 22.}
modo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, ^{Psal. 109.}
dicens: Dixit Dominus Domino meo? Apostoli ^{Act. 1.}
 quoque dum eiusdem sententias adducere vel- ^{& 4.}
 lent, addebant, quòd Spiritus sanctus per os eius ^{Hebr. 4.}
 fuerit locutus. Ad maiorem certioremq; huius
 rei veritatem ipse Dauid profiteretur, quòd ad psal-
 lendum semper à Spiritu Dei fuerit directus &
 excitatus: *Spiritus Domini locutus est per me,* & ^{2. Reg. 23.}
sermo eius per linguam meam. Verùm etiam si hoc
 de se ipso non expressisset Dauid, Spiritus ni-
 hilominùs in Hymnis eius inclusus ex se prodi-
 ret & proderet auctorem, multò meliori ac per-
 fectioni ratione quàm Mineruæ scutum, à Phidia
 celebri Sculptore mira arte effectum, suam pro-
 debat auctorem. Nam de eo scribitur, quòd licet ^{Cic. Tu-}
 nullum in eo appositum esset auctoris nomen, ta- ^{scul. 1.}
 men cognoscebatur auctor ex eiusdem imagine in ^{Minerva}
 eo scuto tali arte exsculpta, vt deleri offendive non ^{scutū mira}
 posset, ^{arte à Phi-}
 dia effectū.

posset, quin totum opus penitus destrueretur. Tot
scatent arcanis cælestibus Dauidici Hymni, ut lo-
lus Deus ipsorum auctor queat dignosci.

Psalmodum materia & subiectum sunt diuina perfectiones. Materia sunt Deus, diuinaque attributa & perfectiones; & quamuis aliquando moralis etiam siue ethica, historialis & prophetica ad materiam, nullus tamen vix reperiri poterit. Plausimus omni profus vacuus laude diuina. Imò nullus tanto cum decore scripsit de diuina substantia, maiestate & magnitudine, sicut Hymnographus noster. Ipse nihil vile, nihil indignum, sed omnia alta, pura, perfecta proloquitur; quibus conferri nequaquam possunt cantata & scripta

Vates Graeci multa de Deo scripserunt vitia. Vates Graecis. Nam saltem supersticiosa erunt si minùs impia, quæ isti dicunt, pluralitatem admittentes numinum, potentiam infirmam diuinitati tribuentes, indigniora etiam non recusantes. At Dauid celebrat Dei substantiam ab omni concretione liberam, ab omni compositione immunitatem, ab omni impuritate alienam: *Quoniam factus Dominus Deus noster.* Prædicat potentiam sine infirmitate: *Omnia quaecumque voluit, fecit in caelo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Immensitatem absque limite: *Quò ibo à spiritu tuo & quò à facie tua fugiam? si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumptis pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Durationem absque principio &

Psal. 98. nem, ab omni impuritate alienam: *Quoniam factus Dominus Deus noster.* Prædicat potentiam sine infirmitate: *Omnia quaecumque voluit, fecit in caelo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Immensitatem absque limite: *Quò ibo à spiritu tuo & quò à facie tua fugiam? si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumptis pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Durationem absque principio &

Psal. 134. absque fine: *Regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Vnitatem sine societate: *Qui facit mirabilia magna solus.* Magnitudinem sine mensura

Psal. 138. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super*

Psal. 144. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super*

Psal. 135. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super*

Psal. 94. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super*

super omnes deos. Sanctitatem sine limite: Magni-Psal. 137.
 ficasti super omne, nomen sanctum tuum. Immuta-
 bilitatem absque vicissitudine: Tu autem idem, Psal. 101.
 ipse es, & anni tui non deficient. Misericordiam su-
 per omnia: Miserationes eius super omnia opera Psal. 144.
 eius. Nullus tam altè & verè scribere nouit de di-
 uina ergo hominum res prouidentia, sicut Dauid
 in suis Hymnis, qui omnes euentus tam felices *Dauid nec*
 quàm infelices, siue mortis siue vitæ, bellorum, *fortunam*
 victoriarum, periculorum, studiorum & omnis *nec casum*
 generis effectuum Deo acceptos refert, nihil unquam *admittit.*
 aut propriæ prudentiæ aut casui aut fortu-
 næ tribuens, sed semper ad Deum, omnium
 euentuum auctorem & moderatorem, se conuer-
 tit vel auxilium quærens, vel gratias referens,
 semper laudans & benedicens: In manibus tuis Psal. 30.
 sortes meæ.

Nullus tam humiliter quam verè, de gratiæ *Gratia di-*
 diuinæ, deque eiusdem auxiliij necessitate ad om- *uina neces-*
 nes hominis actiones unquam est locutus, sicut *sitatem*
 Dauid in suis Hymnis, qui omnes animi sui mo- *prædicant*
 tus, siue liberos siue naturales, Deo soli, tam- *Psalmi.*
 quam primario auctori, imò & consummatori,
 adscribit. Ipsam digitorum compositionem ad
 fundam circumducendam in famosa illa mono-
 machia cum gigante Philisthæo commissa, vt in 1. Reg. 17.
 illius frontem absque errore collimaret, Deo suo
 acceptam reddit dicens: *Benedictus Dominus Deus Psal. 143.*
meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos
meos ad bellum; misericordia mea, & refugium
meum, & liberator meus. Pedum item velocissi-
 mum cursum, ad longa itinera sine defatigatione
 peragenda, ipsi Deo refert: *Qui perfecit pedes meos Psal. 17.*
tamquam ceruorum, & super excelsa statuens me.

D

Sua-

Suauitatis diuinæ præcipuus est laudator, illius expertus in se miros effectus, modò in illius celebrationem Hymnos decantans integros; modò in singulis ferè Hymnis aliquam eius memoriam recolens, vel sub proprio suauitatis nomine appellans Deum suauem & dulcem, vel sub nomine misericordiæ, quam appellat benignam, longanimem, multam & excedentem.

Vnico verbo omnia dicam. Quicumque Deo laudes cupit aptas proferre, solos Dauidis Hymnos potest consulere & vsurpare. Quamuis Deus magnus sit & laudabilis nimis, nostrasque semper superet laudes, tamen incitatur à diuinis Litteris, vt omni quo possumus modo, enitatur maiores semper offerre Deo laudes ob hanc ipsam causam; quia nobis numquam assequi licet perfectam Dei sublimitatem & dignitatem, cum ipse maior semper sit omni laude, quemadmodum suademur ab Auctore Ecclesiastici dicente *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis, maior enim est omni laude; exaltantes cum replemini virtute. ne laboretis, non enim comprehendetis.* Deinde pergit ibidem Scriptura requirere à mortalibus non quamlibet laudum formam, sed conatum quemdam & diligentiam in augenda virtute, vt meliori & perfectiori modo laudetur Deus. Idem innuere voluit Dauid, dum post integram Hymni consummationem in suadenda variis modis laudatione Dei secundum multitudinem magnitudinis eius, inuitans omnem spiritum ad hoc opus adiuuandum, tandem concludit verbo illo Hebraico *Alleluia*, quod significat *Laudate Deum*. Quod aduertens Genebrardus, præsertim quia in libro Psalmorum iste ponitur

Psalmi Deo laudes offerunt perfectas.

Dei magnitudo superat omnem laudem hominis.

Eccli. 43.

Psal. 150. Alleluia quid significet.

Genebr. in Psalm. cit.

ponitur vltimus Hymnus, asserit significari nobis, quòd neque, etiam quando est absolutum Psalterium à Dauide compositum, sit nobis cessandum à Dei laudibus, sed iterùm ac iterùm à capite ordiendum. Ad Dauidicos Hymnos possumus tutum ac opportunum habere perflugium, certi, quòd nihil à creatura mortali, siue forsan etiam beata, poterit reperiri perfectius aut alius.

Hinc Ecclesia, à Spiritu sancto edocta & directa, Hymnos istos per hebdomadam ita distributos offert vsurpandos, vt omnes septem dierum circulo compleantur. Hinc beata Virgo Deipara, quæ Christianæ Religionis magistra & exemplum à sancto Ignatio martyre in quadam Epistola fuit dicta, eosdem habuerit in deliciis, incipiens puerula in templo illorum frequentiam & vsu, & prosequens vsque ad vitæ finem. Horum Hymnorum decantatione & vsu decoratur, imò perficitur omnium Templorum maiestas & amplitudo, dixerim quasi sacrorum Templorum erectiones non futuras Deo gratas, quando in ipsis vel nulla vel non recta exerceretur Dauidica Hymnodia. Asserere saltem licebit, quòd in primi Templi fundatione à Deo ipso hominibus præscripta nouimus euenisse. Nam cum Dauid, cui à Deo commissum est opus huius erectionis, fuerit à Deo ipso prohibitus opere explere ædificationem, ob sanguinis humani multam effusionem, quia vir bellicosissimus fuit, conatus saltem est, dum adhuc viueret, ferè omnia ad fabricam necessaria præparare & ordinare, post quæ totus fuit in ordinandis ministris, iisque instruendis ad cantum Hymnorum, ratus, Templum il-

Beata Virgo Deipara Psalms habuit in deliciis.
S. Ignat. Mart. Ep.
S. Anselm. l. de Excel. Virg.
Andr. Cretens. de Dormit. Deip.
Templorum sacrorum perfectio ab vsu Psalmodia pendet.

lud futurum imperfectum, si in eo perpetui Hymni non frequentarentur.

Templa itaque nostra, sicut multis nominibus sunt verè insignia, ita præcipuè ob Davidicam Hymnodiam in eis expletam redduntur insigniora & festiuiora, imò & Deo ipsi gratiora. Unde dicere libuit sancto Chrysolomo: *In Ecclesiis pernoctantibus, & primus, & medius, & nouissimus est David; si diluculo queruntur modulationes, & primus, & medius, & nouissimus est David: si pompæ in funeralibus defunctorum, primus, & medius, & nouissimus est David. In Monasteriis, sanctis choris Angelicarum acierum, & primus, & medius, & nouissimus est David. In Cœnobiis Virginum gregem Mariam imitantium; & primus, & medius, & nouissimus est David. In desertis viri crucifixi colloquentes Deo; & primus, & medius, & nouissimus est David.* Huic sensui concinit diuus Gregorius

D. Chry-
sost. 6. de
Pœnit.

D. Gregor.
Nyssen.
Orat. de
Ascens.
Domini.

Nyssenus, dum de Domini nostri solemnissima festiuissimaque Ascensione differens statuit, eam reddi solemniolem festiuiolemque ex Davidicis Hymnis; quia scilicet isti Hymni & de ipsa loquuntur, & ad eandem celebrandam vsurpantur ab Ecclesia: *Hodiernam celebritatem, ait, istis per se magnam Propheta David maiorem efficit, dum illi gaudium è Psalmis adiungit.* Nouit semper Ecclesia sublimitatem & sanctitatem Davidicorum Hymnorum, ita vt nihil illis melius possit in Dei sui laudem aut adhibere aut frequentare.

Beati in pa-
tria Psal-
mos vsur-
pabunt.

Quidni dicam, etiam in cælo Beatorum, vbi perpetuè sine fastidio aut labore decantantur diuinæ perfectissimæ laudes, nihil forsan Davidicis Hymnis sublimius ab illis felicibus creaturis posse

se usurpari? Potero saltem afferre quod dixit sanctus Hilarius expendens illa verba Dauidis, *Psal. D. Hilarius dicam nomini tuo in seculum seculi, ut red-* Psal. 60.
dam vota mea de die in diem; ubi cum videretur adesse magna difficultas circa effectum huius promissionis & voti, quia Dauidis ætas non esset semper duratura, difficultatem absoluit dicens, tale vorum adimplendum fore in cælo Beatorum, ubi à Dauide ipso & à Beatis perpetui decantabuntur Hymni. Nec ab huius sancti Doctoris sententia discrepat communis & recepta Theologorum doctrina, qui vnà cum diuo Thoma, Theologiæ D. Thom. Scholasticæ vero Principe, sustinent, futuras esse 2.2. q. 13. in patria cælesti post corporum resurrectionem art. 4. veras laudes vocales, à Beatis cum articulo ver- Beati in patria laudes vocales ad- borum sono proferendas, vt non solo animo, sed hibeant. etiam corpore Deum infinitum celebrent & co- hibeant. lant. Si itaque ad cælestem illam felicitatem, ad quam humile nihil nihilve leue potest ingredi, erunt transferendi Dauidici Hymni, perfectas vtrique concludendum est in illis contineri laudes diuinas, quibus maximè delectatur Deus à nobis laudatus.

CAPVT VI.

Christiana Religionis precipua mysteria celebrat Hymnodia.

QVI sublimitatem assequuntur Hymnorum *Psalmi sunt* Dauidicorum, concordati adstruunt sensu, *compendiū* ob mysteriorum copiosam multitudinem, esse *omnium* compendium ceterarum Scripturarum, seu con- *Scriptura-* summationem totius Theologicæ paginæ. Tanta *rum.*

illustrationum copia fuit à Spiritu diuino decoratus Dauid in suorum Hymnorum decantatione inter ceteros Prophetas, vt, sicuti Propheta extitit inter Reges non sine maximo regiae dignitatis ornamento; ita Rex dici meritò possit inter Prophetas, quos omnes in cognitione mysteriorum vberiori & clariori præcessit, quemadmodum Regia dignitas cuiusq; politico statui maiestatis auctoritate præcellit. Quod ab aliis Prophetis in obscuritate figurarum & sub ænigmatum velamine profertur, id apertum ac manifestum traditur Dauid, vt potius Euāgelista res præteritas describens, quàm Propheta futura prædicens videatur.

*Dauid in
mysteriorū
descriptione
potius
Euāgelista
quàm
Propheta.*

Myſteria omnia ad Christum Dominum secundum eius diuinitatem quàm secundum humanitatem spectantia, tanta describit claritate Dauid in suis Hymnis, vt clariùs à nemine, in Apostolo siue Theologo, possint proponi. In

*Psalms vsi
sunt Christi
& Apostoli ad
confirmanda
fidei
dogmata.*

quotquot nostræ Religionis mysteria validis uoluerit sacrarum Scripturarum testimoniis confirmare, è Dauidicis Hymnorum promptuariis desumere coacti semper fuere; & quoties huiusmodi adferuntur testimonia, tanta est eorum uis, vt nullus amplius audeat repugnare aut contradicere. Vnigenitus æterni Patris nostra indutus carne, vt suam diuinitatem adstrueret, quam non possent aduersarij oppugnare, produxit Dauid testimonium ex Psalmo 109. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* quo audito, Pharisei obmutescerent admirati sunt. Quæcumque ad huius Verbi incarnati vitam, actiones & gestas spectant, tam aperta nobis proferuntur, omnibus illis videatur Dauid adstitisse præsentem generationi tam æternæ quàm temporali, prædicatorem

Psal. 109.

cationi, passionibus omnibus, in pratorio, in palatiis & caluario, morti, Resurrectioni, Ascensioni & Spiritus sancti missione, ita vt Apostoli de iisdem dogmatibus differentes, vel scribentes, vnicum producant Dauidem in testimonium omni exceptione maius. Sanctus Apostolus Paulus Hebr. 1. ad comprobendam diuinitatem Verbi in æternitate geniti, omnem Angelorum sublimitatem in immensum excedentis, profert ex Psalmo 2. illa verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Aliàs Psal. 2. item ex eodem vrget textu testimonium, ad ostendendam Hebræis veritatem Resurrectionis eius-
 Actor. 13.
 dem Domini nostri Seruatoris. Tanta est sensuum vbertas in sacris Scripturis à Spiritu sancto posita, vt vnicus locus plures complectatur diuersos *Sacra Scriptura plures continet sensus.*
 sensus. Obuiam sunt Psalmi, qui sicut toti sunt in describenda Christi Domini vita, ita passim proferuntur ab Apostolis in confirmationem mysteriorum. Omnes Apostoli vno loquentes ore
 Actor. 4.
 Dauidis Psalmum 2. recitarunt, comprobaturi *Vitam Christi in Psalmis ad amussim descripta.*
 Hebræis, in Christum, præceptorem omnium Ordinum & Magistratum, coniurationem fecutam; quia in illo Psalmo mira perspicuitate ponitur ab oculos commota persecutio Herodis, Pilati & Sacerdotum aduersus Iesum, qui vulgato nomine ibi describitur & appellatur Christus:
Quare fremuerunt Genes, & populi meditati sunt inania aduersus Dominum, & aduersus Christum eius? Quod nomen Christi licet aliquando aliis
 Christi nomen quando soli Dei Filio in Scripturis tribui cognoscatur.
 etiam viris fuerit datum in sacris Litteris, tamen ex Apostolorum declaratione cognoscitur, non alij à Dauide fuisse tunc applicatum, nisi Dei Filio incarnato, quem proprio vocant nomine Iesum. Quæ declaratio non fuit ab Hebræis impu-

gnata; quia notum erat omnibus illius ætatis Doctoribus, in eo Psalmo sermonem esse de Messia. Ad quam rem optimè facit ille Canon, quem tradit in hunc locum Michaël Aiguanus Commentator doctissimus, sub Incogniti nomine celebris, qui tandem opera, diligentia & auctoritate venerabilis Patris Basilij Angussolæ, auctori mei, redditus est toti mundo cognitus, non sine magno totius Ordinis sui Carmelitici augmento decoris. *Quandocumque* (ait hic Doctor) *Scriptura loquitur de Christo absolute, intelligitur de Christo in lege & Prophetis promisso, nisi in littera precedente vel sequente manifestè appareat, quod de alio loquatur Christo; quia Filius Virginis antonomastice Christus dictus est.* Sic enim adducunt Apostoli huius Psalmi 2. initium, sua ipsorum paraphrasi illustrarunt: *Conuenerunt enim uerba in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israël, facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.* Ecce quomodo effectus ad amissum fuerit tot antè sæculi spiritu Dauidis prænuntiatus.

Actor. 4.

Psal. 21.

Christi passio in Psalmis prænuntiata.

Matth. 27.

Marci 15.

Addere nunc libet Psalmum 21. qui absque controuersia cognoscitur non prædixisse futuram Christi passiones, sed descripsisse iam secutam. Prima uerba illius Psalmi eadem fuere, quæ Dominus noster, existens in cruce, ad Patrem conuersus pronuntiauit, à sancto Matthæo & sancto Marco narrata, *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ibi tota series passionum, ab initio capturæ in horto usque ad affixionem Christi in cruce, ad uinguem descripta uidetur. Et ne aliquis posset oriri dubitatio de ueritate horum mysterio-

rum,

rum, duo præcipui Euangelistæ hanc passionem describentes, nimirum Ioannes & Matthæus, Ioan. 19. Matth. 27. dum sortem à militibus missam super eius inconsutilem vestem narrare vellēt, statim monuerunt hunc etiam euentum, qui, si ad solam corticem attendatur, omnium minimus esse dicitur, fuisse à Dauid prænuntiatum: *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Quid dicam de nuptiis diuinæ naturæ cum humana celebratis? Istæ meliùs à Dauide in suis Hymnis describuntur quàm ab vlllo ceterorum Scriptorum, quemadmodum grauius notauit diuus Ambrosius Sermone ultimo de Epiphania citans Psalmum 44. qui promeritus est sibi illum titulum sublimem ab Augustino primò prolatum, à posterioribus deinde Doctoribus approbatum, *Epithalamicum carmen.* Priuilegium id fuit sanctissimi Hymnographi, vt quemadmodum ipse secundum carnem extitit parens Christi Domini, ita etiam spiritu viderit & prædixerit eiusdem actiones, mysteria, vitam, mortem, Resurrectionem & Ascensionem. Hinc sanctus Gregorius Nyssenus de Ascensione Christi Domini loquens, digreditur ad Dauidis laudes, expendens quanta perspicuitate ille sit locus de glorioso illo triumpho, quasi præsens adfuisse fuerit dignus, imò quasi constitutus fuerit triumphatori Domino minister maximæ auctoritatis, dum inuitat, imò, ait Nyssenus, imperat Angelis, vt ascendenti Domino præstò adessent, & portas referarent. Considerabat sanctus Doctor illa verba Psalmi, *Attollite portas principes vestras,* quæ vim habent imperandi; idcò decla-

D. Ambr.
Serm. de
Epiph.
Psal. 44.

Dauidis
laus quan-
ta.

D. Gregor.
Nyssen.
Orat. de
Ascens.
Ascensionis
Christi Do-
mini vide-
tur fuisse
præsens Da-
uid dum lo-
quitur in
psalmis.

rare non timet, Dauidem quodam modo, saltem in opere isto, Angelis maiorem atque superiorem. Verum, ne longius immorer in omnibus censendis particularibus mysteriis quæ in Davidicis continentur Hymnis, vnico verbo dicat quòd animus Hymnodia studiosus in illis reperit ac degustat præcipua Christi Domini mysteria in Euangeliiis fusè descripta. Vnde D. Hilarius credidit, Christum Dominum in Apocalypsi electum fuisse clauem Dauid, quia adimplet sua persona quæ in Psalmis prædicta sunt, quæ clauis mysteria illa referauit & mundo manifestauit. Libuit ad hanc rem Episcopo Christophoro non ingrati adhibere tropologiam super illud instrumentum Dauidi frequens, quod in ceteris Psalmorum & adhibebat & suadebat, dicitur Psalterium decem chordarum: *In psalterio decem chordarum psallite illi.* Sicut erant huius instrumenti ad psallendum opportuni decem chordæ ita decem, ait Episcopus Valentia, sunt Euangelicæ legis insigniora mysteria nobis credenda in Psalmis proposita, nimirum Trinitatis, Incarnationis Christi, Natiuitatis, Baptismi, doctrinæ Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, Spiritus sancti missionis, iurisdictionis seu potestatis vniuersalis. Qui itaque Hymnodia huius vel omnium vel aliqua penetrat mysteria, is quasi manu pulsas chordas Psalterij.

D. Hilar.
Prolog. in
Psalm.

Iacob. Val.
in Psalm. 56.

Psalm. 32.
Psalterij
decem chor-
darum præ-
clara alle-
goria.

Psalmorum
meditatio
confert &
gustum &
lumen.

Asserere item non verebor, quòd animus contemplatiuus, si rectè Hymnodia studuerit, poterit quasi apes argumentosa ex tot floribus, quæ sunt mysteria in Hymnis contenta, colligere sibi mel & ceram. Mel ad gustum, ceram ad lumen, quia & declarationes & illuminationes non pau-

cas nec paruas inde hauriet. Quod de omnibus sacris Litteris obseruauit Philo Carpathius ad ea verba Canticorum, *Faxus distillans labia tua*, id præcipuo modo asseri debet de sacris Dauidicis Hymnis. Obseruauit hic pius Doctor, fauum dicta esse labia Sponsi, non autem mel; quia in fauo mel & cera latent, quorum altero pascimur, altero lumen accendimus. Qui Psalmodiam deuotè exercent, nouas semper illustrationes experiuntur, nouosque sensus eliciunt. Nam aliqui Psalmi sunt adedò mystici, & tot arcanis sunt copiosi, vt de vno asseruerit D. Hieronymus, vel quicumque alius sit Auctor in Psalmos nomine Hieronymi, quòd Psalmus 77. quasi campus omni florum varietate refertus, tot ornetur floribus quot litteras continet, nec solos dies, sed nec menses quoque ad illius plenam intelligentiam sufficere. Hinc conciliabimus quamdam pugnam quæ adesse viderur in adhortationibus Dauidicis. Sæpè hortatur ad novos Hymnos decantandos, *Cantate Domino canticum nouum*; & tamen nouerit, Ecclesiam semper frequentaturam hos Hymnos antiquos, imò & perantiquos. Quomodo igitur exequi potest Ecclesia hortationem traditam, si re ipsa eosdem semper antiquos Hymnos adhibet? Hæc pugna facili negotio conciliatur, si attendamus nouitatem affectuum & cognitionum, quos in dies experiiri contingit in eorundem Hymnorum vsu: talis enim nouitas affectuum reddit novos Hymnos decantatos. quæ enim nos maximè delectant, dicere solemus, quòd noua nobis videantur.

Omnes quidem Hymni Dauidici copiosis scænt deliciis affectuum & arcanorum, sed omnium

Philo Carpath. in Cant. 4.

Sacrarum Scripturarum vis mira.

Nouitas affectuum reddit Psalmos novos. Pl. 32. 39. 95. 97.

*Psalms
118. pluri-
mis nomi-
nibus est
commen-
dandus.*

*Ex Durãdo
l. 5. Ration.
c. 5. n. 5.*

*Ex S. Bo-
nau. Serm.
17. de Lu-
minar.*

*Eiusdem
Psalms in-
signia my-
stevia.*

nium sanctior, suavior & copiosior semper hinc
tus fuit à sanctis viris alphabetarius Psalmus 118
à Dauide compositus in laudem & celebratio-
nem diuinæ legis, quæ sub variis aliis nominibus
ad rem accommodatis proponitur, siue iudicio-
rum siue mandatorum, modò iustificationum
modò testimoniorum, aliquando sermonum
eloquiorum, veritatis & similibus. De hoc Psal-
mo permultæ prodierunt à sanctis Patribus
lustres commendationes, sed omnium ingen-
tior mihi probatur illa D. Ambrosij, qui hunc
appellauit Solem Psalmorum, quasi alij Psalmi
emicent in Ecclesia sicut stellæ, hic verò sicut
meridianus copiosus sit lucis & ardoris. Iterum
ab eodem sancto Doctore dictus est Paradisi
pomorum & Apotheca Spiritus sancti; & pro-
de quasi aromaticam speciem paradisi, quæ sem-
per nouos proferat gustus, quotidie ruminari
Ecclesia. Nec fuit ingrata visio, quam circa Hym-
num istum dicitur habuisse D. Augustinus, vti
eius frequentem vsum maiori ardore accedens.
Is vidit pulcherrimam arborem viginti duobus
ramis ornatam, quilibet ramus octo alios emi-
tebat ramusculos, ex istis dulcissimæ guttulæ
rantes cadebant. De qua visione suspensus
ctus vir, dum cogitaret quid sibi vellent, decla-
rationem statim accepit, quòd arbor ista esset Psal-
mus 118. viginti duabus alphabeti Hebraici li-
teris distinctus, cuius vnaquæque littera octo
versus sub se comprehendit suauissimis mysteriis
refertos, in quibus animus pius delectatur. Hic
Psalmus omni hominum statui est valdè oppor-
tunus; quia purgat incipientes, illuminat profi-
cientes, inflammat perfectos.

Mysteria

Myſteria iſta non deguſtant, qui ad Hymno-
 diam vel inuiti vel malè affecti accedunt; iſti enim
 in pœnam ſuæ tepiditatis priuantur intelligentia
 & guſtu myſteriorum ſub literæ cortice contento-
 rum. Non habitat ſapientia, quæ eſt ſapida ſcien-
 tia, in corpore ſubdito peccatis, & in animo ad
 res diuinas non probè apto. Vnuſquiſque profe-
 ctus ſui cupidus omni ſtudio animi munditiem
 obtinere cõtendat, & ſapè uſurpare illam oratio-
 nem Hymnographi, quam ad noſtram informa-
 tionem omnibus propoſuit: *Reuela oculos meos,*
 & *conſiderabo mirabilia de lege tua.* Nam quàm
 dulcia reddita ſint Pſalmorum eloquia iis, qui a-
 liquando Hymnodiam faſtidiebant, poſtquam
 ad gratiæ diuinæ recipiendas motiones ſe præpa-
 rare ſtuduerunt, nouimus ex variis Hiftoriis fide-
 dignis. Vti de ſancto Petro Damiani proditum eſt,
 qui ſicut lectionis Poëtarum, Oratorum, Phi-
 loſophorum tanto deperibat amore, vt ſacrarum
 lectionem Scripturarum faſtidiret; ita poſtmo-
 dum, diuino cælitus Spiritu uſitatus, magis gau-
 debat vnius Dauidici Hymni recitatione quàm
 ſuauiſſimis Muſarum carminibus & floſculis.
 Verba ipſius ſancti Doctoris & digniſſimi Eccle-
 ſiæ Cardinalis ſubiicere liber, vt ex eius ore au-
 diamus, qualis felicitas ſit dignè pſallentibus
 parata: *Olim mihi Tullius dulceſcebat, blandie-
 bantur carmina Poëtarum, Philoſophi verbis aureis
 inſplendebant, & Sirenes uſque in exitum dulces
 meum incantauerant intellectum; Lex, Propheta,
 Euangelium, Epiftola, & omnis gloria ſententia-
 rum Domini mei & ſeruatorum eius, aut parua uide-
 bantur, aut nulla: neſcio quomodo quid dulcius im-
 murmurat filius Ieſſe, qui uario ſermonum & ſen-
 tentiarum*

*Pſallentes
 inuiti pri-
 uantur gu-
 ſtu & in-
 telligentia
 Pſalmo-
 rum.*

Pſal. 118.

*Guſtus
 Pſalmorum
 excedit om-
 nem guſtū
 tum Poëta-
 rum, tum
 Philoſopho-
 rum.*

*D. Petrus
 Dam. Ser.
 de Chriſti
 Natiu.*

*Petri Da-
 miani mira-
 mutatio ad
 Pſalmorum
 ſuanitates
 deguſtan-
 das.*

tentiarum concentu omnes illos quos diligere con-
ueram, ineloquentes reddit & mutos. En qua-
rum bonum à Psalms hauriebat Cardinalis Pe-
trus. Idem nobis quoque euenire potest, si
ipfos ad illud recipiendum præparemus. De-
itaque, qui omnibus dat affluenter, enixè pos-
lemus, vt sua nos visitatione dignetur, sapienter
dicamus: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua Domine; seu, vt legit P. Hiero-
mus, videbo mirabilia tua Domine.*

*Dispositio
cordis ad
psallendum
à Deo exoranda.*

Psal. 118.

C A P V T VII.

Maximas gratiarum actiones Deo reddit Hymnodia.

*Gratitudi-
nis necessa-
ria obliga-
tio.*

*Ingratitu-
dinis nota
turpis.*

*D. Bern.
Serm. 10.
in Cant.*

NECESITATIS & obligationis arctissimo
culo tenemur Deo perpetuas reddere gra-
tias, ob multiplicia eius in nos deriuata dona
beneficia; ob ea præsertim quæ maiora illustri-
raque existunt, qualia sunt quæ animæ salutem
respiciunt æternam, nimirum incarnationis, mor-
tis & redemptionis Domini nostri. Si quisquam
esset, qui tantæ obligationis oblitus Dei beneficia
numquam recoleret, iste non solum grauissi-
mæ culpæ efficeretur reus, sed turpem ingratu-
ditatis notam sibi inureret, nullo vnquam remedio
abolendam. Qui studuerunt animi grati signifi-
cationem exhibere Deo Hymnos offerentes, non
solum à præfato immunes reatu euaserunt, sed
Benefactori infinito altissimum præstiterunt ob-
sequium, gratissimumque obtulerunt Sacrifi-
cium: illud nimirum, aiebat D. Bernardus, quo
Hymnographus, potiùs dixerim, ipse Deo

per Dauidem, pronuntiauit, *Sacrificium laudis* Psal. 49.
honorificabit me; asserere volens, se honorem &
 gloriam suam sitam agnoscere in nostris Hym-
 nis, quos ei in gratiarum actionem decantantes
 offerimus, illius celebrantes magnificentiam, li-
 beralitatem, misericordiam, amorem, suauitatem.

Hoc Hymnorum Sacrificium, addit D. Ber-
 nardus, est mysticum illud vnguentum incar-
 nato Verbo ad eum carum, vt ore proprio maximis
 extulerit præconiis coram discipulis effusum à
 proficiente Magdalena super caput eius. Pretio-
 sum quidem fuit & omni suauitate redolens pri-
 mum vnguentum effusum ad eiusdem Domini
 nostri pedes in alio solemnè conuiuio ab eadem
 muliere tunc pœnitente, sed pretiosius & fragran-
 tius & carius fuit declaratum alterum ipsius mu-
 lieris non iam pœnitentis, sed maximè proficien-
 tis in diuini amoris ardore & disciplina perfectio-
 nis, effusum super caput, dum ad cœnam recum-
 beret Christus Dominus, non in aliena domo sed
 in propria, vnà cum Lazaro & Martha germanis;
 inde autem pretiosius, quia non pedes, sed caput
 perfudit. Caput enim Christi hominis est diuini-
 tas Verbi, ait Paulus. Caput istud vnguento li-
 niunt pretioso, qui, Deo gratias reddentes, ipsi,
 tamquam omnium donorum auctori, omnia re-
 ferunt accepta. Quod tunc altè expletur, quan-
 do Dauidica Hymnodia ad huiusmodi finem di-
 rigitur: quod facillè potest expleri, quia nullus
 ferè poterit reperiri Psalmus, in quo vel altissi-
 mæ non referantur gratiæ Deo, vel insignia non
 recolantur beneficia & dona à Deo deriuata tum
 in se tum in alios.

Sicut fuerat à Deo sanctus Dauid peculiaribus
 donatus

*Gratiarum
 actio exple-
 tur Sacrifi-
 cio Hymno-
 rum.*

*Magdalena
 bis effudit
 vnguentum
 ad pedes &
 ad caput
 Christi.*

i. Cor. ii.

*Gratiarum
 actiones in
 psalmis re-
 periuntur
 singulares.*

Gratiarum
actionum
studiofissi-
mus David.

donatus fauoribus, ita studiosissimus gratitudinis esse curauit. Imò tale excitabatur in hoc seculo viro studium Deum suum laudandi & celebrandi; quoties aliquo nouo vel auxilio vel dono ornabatur, vt continere non valeret os, gestus & manus, aiebatque se velle exultare, cantare, psallere; corpore toto commouebatur saliens, tripudians, ore canebat iubilans, manu pulsabat psalterium & citharam. Animam propriam alluens quadam prosopopœia non ingrata, quæ alteram personam inuitans, eam vocabat & prouocabat ad gratiarum actiones & ad beneficiorum iugem memoriam, ad Deum benedicendum, laudandum & celebrandum. In hoc studio præsertim resplendet Psalmo 102. quem

Psal. 102.

abrupto incipit: *Benedic anima mea Domino, omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes tributiones eius.*

Iusti ex v-
su gratia-
rum actio-
num cogno-
scuntur.

Ex hoc studio gratitudinis quispiam dicitur cognosci & distingui virum iustum ab impijs. Saltem asserere sine hyperbole licebit, quòd iusti quasi vim sibi inferri sentiunt ab acceptis beneficijs, vt in laudes Benefactoris emulsi- pant. Nullum præterire patiuntur donum, etiam naturale & omnibus commune, quod non pertinet sibi particulare & proprium, & pro quolibet ipsorum non referant ex animo gratias. Hoc studium obseruauit Hymnographus esse iustorum propriam conditionem Psalmo 64. vbi enumerans omnia beneficia naturalia, quæ Deus ratione suæ prouidentia omnibus viuentibus largitur quotannis non desistit, nempe vbertatem segetum, ouium fecunditatem, pascuorum abundantiam,

dantiam, aquarum opportunitatem, victus omnis abundantiam, dierum noctiumque vicissitudinem felicem, dicens: *Exitus maturini & vespere delectabis. Vistasti terram & inebriasti eam; multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum; quoniam ita est preparatio eius. Riuos eius inebria, multiplica gemina eius; in stillicidiis eius latabitur germinans. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ; & campi tuæ replebuntur ubertate. Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ouium, & vales abundant frumento.* Tandem concludit, quod iusti inde excitati Hymnos arripient, ut Deum donatorem omnium bonorum concelebrent: *Clamabunt, etenim Hymnum dicent.*

Quamuis communia omnibus sint beneficia, iusti tamen tantum sibi tantum sibi assumunt onus, ac si tantum sibi Deus mundum, creaturas, vitam, redemptionem tradidisset. Nec distat à veritate hic iustorum affectus; nam verè Deus ita singulum quemque hominem diligit, sicut diligit vniuersum orbem. Hinc illa Theologorum suaui doctrina, talem esse in Deo caritatem, ut ob vnus salutem Verbum aeternum ita in mundum venerit factus homo, uti propter homines omnes; quemadmodum mirabili celebri que visione dignatus est declarare Dominus noster Episcopo Carpo, quam sanctus Dionysius Areopagita ad Demophilum scripsit. Cùm hic sanctus vir maximo zelo exardesceret in duos scandalos peccatores, ostensiq; illi essent in visione quod statim essent in infernum detrudendi, non solum gaudij signum exhibebat, sed extensa nitentur

Grati animi perfectio beneficia communia reputat sibi propria.

Verbū Dei factus est homo tam pro vno quam pro omnibus hominibus.

D. Dionys. Epist. ad Demoph. Mira Carpi visio de caritate Dei erga homines.

E tebatur

rebatür manu eorum accelerare impulsum, ut
 tius ex hoc mundo tollerentur. Tunc descendens
 Dominus noster Iesus è caelesti sede, se posuit
 megium inter Carpum & illos iuuenes, & ad
 Carpum adhuc manum habentem extensam con-
 uersus dicebat: Percute me, impelle me, parat-
 sum enim iterum pro istorum salute mori. Hinc
 illa usurpatio pronominis *mei*, quòd solent
 iusti Deum alloquentes frequentare, quemad-
 modum obuiam habemus passim in Davidicis
 Psalms, vbi dum Psalter alloquitur Deum, ap-
 pellat *Deum meum*, non *Deum nostrum*, quia
 Deum ita comparatur affectus, sicut in aliis
 bus etiam communibus, quas impensè amamus
 quibusque maximè delectamur, ut eas dicere
 leat affectus suas.

*Iusti ex af-
 fectu appel-
 lant Deum
 suum, non
 Deum no-
 strum.*

*Pronomen
 meum est
 vox affe-
 ctus.*

*Ioan. 20.
 Verba di-
 ni Thoma
 Apostoli,
 Dominus
 meus, &
 Deus meus,
 plena sunt
 miris affe-
 ctibus.*

Seraphicus Franciscus, qui Deum intensissimè
 diligebat, sicut Hymnorum cantus in choro
 studiosissimus, ita in suis priuatis orationibus
 aliud frequentius ore vsurpabat quàm illa verba
Deus meus, & omnia. Feruentissimus quoque
 Apostolus Thomas, quando ex Vulnerum seu
 caricum Saluatoris Domini contactu exarsit
 amore, exclamans dixit: *Dominus meus, & Deus
 meus*. Puto quòd iste Apostolus tunc mente con-
 fulus remanserit, expendens infinitam Dei Ro-
 demptoris & dignationem & caritatem, ut pro
 vno voluerit iterum apparere, quemadmodum
 ceteris omnibus Apostolis simul apparuerat, cog-
 noscens hinc eum esse erga se ita affectum, ut,
 opus esset, ipse nouas plagas, nouam mortem
 set subiturus, idèd vt tanto responderet amor-
 tacitè se obtulit supplicis, tormentis & morti,
 si minùs pares, saltem quas posset maiores repe-
 dere

deret grates, & exclamavit, *Dominus meus, & Deus meus*; quasi dicens: Tu pro me morti te ipsum exposuisti, ecce ego pro te me ipsum eidem morti trado, suscipe me Dominus meus, & Deus meus.

Deum suum appellarunt etiam profani, à quo beneficia non leuia hauserunt. De quodam cecinit Poëta:

Namque erit ille mihi semper Deus. —

Simili parœmia vsi semper sunt iusti & sancti viri dicentes, se in posterum habituros Dominum in Deum, quando ab ipso custodirentur, regerentur, protegerentur. Celebre est ad hanc rem votum à sanctissimo Patriarcha Iacobo emis-

sum, qui Deo spondit, se illum in Deum suum semper habiturum, *Erit mihi Dominus in Deum*, si ab ipso custodiam, victum, vestitum, reditum-

que felicem in patriam obtineret. Hac vsus est locutione sanctus vir, non quia aliquando ei fuerit alter Deus, cum ab ipso ortu fuerit illi semper Dominus in Deum, sed, vti optimè explicat Caietanus, quia specialiori maioriq; cultu statuebat, gratitudinis ergo, in posterum colere & venerari Deum, soluendo nimirum decimas omnium rerum suarum ad illius honorem, tum etiam ibidem erigendo lapidem quasi aram, templumque dicando ad illius honorem. Sanctorum virorum tum veteris tum noui Testamenti hoc fuit semper proprium institutum, quando beneficia aliqua insignia obtinebant à Deo, statim novos colendi modos promittere, Hymnos & Can-

tica concinere. Hymnum dixere post beneficia Moyses & Maria post transitum Maris rubri; Anna nato Samuele; Debora cæso Sisara; Iudith

Anna nato Samuele; Debora cæso Sisara; Iudith

Ving. Ecloga 1.

Iacob Patriarcha quando beneficiis augebatur, maiorem spondebat sanctitatem. Gen. 28.

Iusti post beneficia in gratiarum erumpunt actiones.

trucidato Holoferne ; Tobias hospite recepto filio ; Zacharias nato Ioanne ; beata Virgo Deo para concepto Verbo Dei ; Simeon viso Christo Dauid noster quoties nouo aliquo beneficio visitaretur , nil aliud spondere solebat benefactori Deo , non aurum , quo copiosè abundabat , ne vitulos saginatos , quos possidebat innumeros

- Psal. 143. sed non nisi Cantica noua & Hymnodiam : *Deus Canticum nouum cantabo tibi , in psalterio decem chordarum psallam tibi. Quod saepe alibi promittit , & ex sexcentis id tantum profero quod Psalmo 70. declarat , ubi , cum narrasset multas gratias consolationes à Deo acceptas , spondet futurum perpetuum Hymnodiae usum : Nam & confitebor tibi in uasis Psalmi veritatem tuam. Deus psallam tibi in cithara , sanctus Israël. Exultabunt labia mea cum cantauero tibi , sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam.*

Ingratitudo est omnium vitiorum pessima.

D. Ambr.
1. 2. Offic.
2. Tim. 3.

Beneficiorum obliuio est Deo odibilis.

Ierem. 2.
Deut. 32.

Psal. 103.

Magna profectò vis beneficiorum in Dauidis animo , ut Deo suo Hymnos offerret in actione gratiarum indefessam. Nouerat sanctus vir ingratitude vitium esse omnium vitiorum pessimum , & ingrato nihil reperiri iniquius , ut patet eà docuit & scripsit D. Ambrosius. Scimus ingratos recenseri ab Apostolo Paulo inter illos sceleratos qui dominabuntur nouissimis diebus & periculosis temporibus. Imò , si rectè attendere nouerimus , videbimus Deum nihil magis odibile in hominibus mortalibus quàm beneficiorum obliuionem. Hinc illa exprobratio tam acris in populum Hebræum , quia oblitus esset Dei diebus innumeris. Hinc illa inuectiua Moysis tam ferrea in eundem populum , quia oblitus erat Creatoris. Hinc illa vehemens obiurgatio Dauidis in eundem,

eumdem, quia oblitus est Dei, qui saluauit eos. Quare aliquando non dubitauit Dauid omnem præcipuorum flagellorum, quæ à Deo, iustissimo nostrorum scelerum vindice, mortalibus immittuntur, originem ac causam huic ingratae obliuioni adscribere. Narraturus enim in suis Hymnis populo Hebræo causam tot malorum quæ veteres Israëlitas in deserto afflixerunt, cecinit eam in primis fuisse diuinorum beneficiorum obliuionem: *Obliti sunt benefactorum* (beneficiorum) *Psal. 77. eius, & mirabilium eius quæ ostendit eis.* Etiam Seneca scribere non dubitauit, cum ingratitude varij sint gradus seu species, omnium pessimam esse obliuionem beneficij. Qui familiares habent Dauidicos Hymnos, sicut maximè elongantur ab hoc turpissimo vitio, ita altissimas exercent gratiarum actiones, & præbent præclara grati animi indicia. Nec aptiora verba potest quis usurpare quàm Dauidica à Spiritu sancto tradita. In Hymnis huius viri de Deo sublimis & magnificus fit sermo, maxima enarrantur beneficia, nostra vilitas ad rependendum cognoscitur & declaratur. Et quia in omnibus gratiæ sunt agendæ Deo, iuxta doctrinam Pauli, nimirum tam in morbo quàm in sanitate, tam in inopia quàm in copia, tam in desolatione quàm in consolatione, siue in tentatione siue in pace, siue in humiliatio- ne siue in exaltatione, siue in aduersitate siue in prosperitate, siue in persecutione siue in dilectione; quia sæpè maius bonum est morbus, inopia, desolatio, tentatio, humilitas, aduersitas, persecutio, quàm alia quæ videntur bona. Imò quia gratiarum actiones in aduersis pretiosiores sunt & propriæ animi Christiani, iuxta doctrinam di-

*Psalmorum
verba sunt
aptissima
ad gratias
Deo agen-
das.*

*1. Thes. 5.
Gratiarum
actio tam in
bonis quàm
in malis est
usurpanda.*

*Gratiarum
actio in ad-
uersis est
propria
Christiano.*

D. Hieron.
in c. 5. ad
Ephes.

ui Hieronymi dicentis: *Christianorum propria
virtus, etiam in his, quae aduersa putantur, referuntur
gratias creatori: nam in beneficiis Dei, quae nobis
accidunt, gratulari, hoc & gentilis facit, & Iuda
sed, iuxta Apostolum, haec virtus est maxima,
in ipsis periculis atque miseriis Deo gratiae referuntur,
& semper dicamus: Benedictus Deus; minus
nescio sustinere, quam mereor: haec ad mea peccata
parua sunt: nihil mihi dignum redditur. Hic
omnis Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur
Saluatorem; quem nec orbitas, nec damna detra-
hant; quem, ut Flaocus ait,*

3. Carm.
Ode 3.

*Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.*

Expendebat tunc D. Hieronymus verba Apol-
li: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobis
in ipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiri-
tibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Do-
mino, gratias agentes semper pro omnibus, in no-
mine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri.*
eò Hymnodia Dauidica apta est & opportuna
Nam adsunt Hymni ad vtrumque euentum
commodati, quos canebat Dauid non solum tem-
pore prosperitatum, sed etiam persecutionum
pressurarum, eaque semper erat conditione
dis paratus, vt in omni euentu, tempore & loco
benediceret Deum: *Benedicam Dominum in omni
tempore, semper laus eius in ore meo.*

Psal. 33.

*Gratiarum
actio dispo-
nit ad gra-
tias reci-
piendas
maiores.
Deus erga
gratos est
liberalior.*

Huius caelestis Hymnodiae studeamus esse fru-
quentes amatores; quia non solum Deo debita
rependemus gratias, sed insuper ad maiora reci-
pienda beneficia nos hac sancta exercitatione praepar-
abimus. Deus noster erga animos gratos ea am-
icitur voluntate, vt libentius eos maioribus ce-
mulet.

mulet gratiis & donis. Præclarum est illud quod ad hanc rem adducere solebat D. Bernardus, ex-
 pendens illa verba Ecclesiastæ, *Ad locum, unde Ser. 13. in*
exeunt flumina, reuertuntur ut iterum fluant. Vr-
 gebat hoc pronuntiatum ad prouocandum nos ad Cant.
 gratiarum actionem frequentandam propter no- Eccle. 1.
 stram maiorem vtilitatem, aiebat enim: *Sicut*
aqua per subterraneos recursus mare repetunt, ut
iterum inde rursus erumpant ad nostros usus; ita
etiam spirituales riuus gratiarum, ut arua mentium
rigare non desinant, debent proprio fonti sine fraude
& sine intermissione reddi. & ideò vertit verba:
Ad locum unde exeunt reuertantur flumina gra-
tiarum, ut iterum fluant.

Effectum insignem huius veritatis obseruauit Aug. Tor-
 Augustinus Tornellus in casu sanctissimi Pa- niel. anno
 triarchæ Noë, qui ex speciali Dei gratia duas in 1667. nu. 7.
 se ipso participauit mundi ætates, alteram finiens, Noë ob gra-
 alteri verò initium tribuens. Conspicere licet in ti animi er-
 hoc viro sanctam & piam æmulationem, Dei gnificatio-
 delictet dona largientis, & Noë gratias semper no- nes, maiori-
 uas reddentis. Notum est omnibus, hunc virum bus fuit be-
 maximis à Deo fuisse cumulatam donis ante di- neficijs à
 luuij vniuersalis exterminationem, dono nempe Deo cumu-
 sanctitatis insignis, dono item filiorum piorum, latus.
 nam dictus est vir iustus in generationibus suis;
 dono item præseruationis à communi omnium
 excidio, dono tandem primi renouatoris humanæ
 generationis post diluuium. Hic vir, qui semper
 fuit Deo gratus, magis magisq; excitatus est ad
 gratias singulares reddendas post egressum ex
 Arca, ob tantæ præseruationis beneficium in-
 signe. Altare Deo erexit, quod forsan à nemine
 ante ipsum fuerat erectum, & obtulit super illud

E 4

holocau-

holocaustum in testimonium animi grati, quod adeo carum fuit ipsi Deo, ut asserat Scriptura Deum habuisse illud in odorem suauitatis, quod idem est, ac pergratum ipsi fuisse; & in signum acceptæ consolationis, præstitit deinde illi Deus eiusque familiæ multiplicia & maiora felicitatis beneficia ac dona. Verè itaq; & grauitè asserunt

D. Bonau.
in Theol.
myst. p. 1.
cap. 3.
*Gratiarum
actio est
quasi tuba
pulans Dei
aures.*

S. Bonaventura, recordationem frequentem acceptorum donorum esse veluti tubæ sonitum qui diuinas pulsat aures, & excitat Dei cor dulcissimum ad maiora dona nobis elargienda. O vos felices Hymnodia studiosos! quia sine labore habent promptas & frequètes ad manum altissimæ gratiarum actiones, quæ si rectè ad Deum dirigantur, maiora & insigniora obtinebunt beneficia

CAPVT VIII.

*Perfectam orandi formam
Hymnodia exercet.*

Innoc. III.
Proem. in
Psa. Pœnit.

SANCTISSIMVS maximusque Pontifex Innocentius III. ut Dauidicorum Hymnorum declararet eminentiam, scribere non dubitauit, quod post Dominicam orationem, inter perfectiores orationes sint enumerandi Dauidis Psalmi, ob eam rationem, quia perfectam orandi formam exhibeant. Hanc orationis sublimitatem assequuntur in Psalmis, qui orationis regulas à sanctis Patribus traditas possident. In primis docet D. Ambrosius, ordinatam orationem inchoare à laudibus Dei, idq; confirmat ex modo orandi tradito à Domino nostro Apostolis suis, cuius prima verba sunt altissimæ laudes: *Pater noster,*

D. Ambr. l.
6. de Sacr.
cap. 5.

noſter, qui es in caelis, ſanctificetur nomen tuum. Bona ora-
 Hanc regulam fuiſſe Dauidi in primis familia-^{tio à laudi-}
 rem conſpicimus. omnis enim Pfalmus depreca-^{bus Dei}
 torius, niſi aliud poſtulet vrgens aliqua ratio, ſem-^{exordium}
 per à laudibus Dei ſumit exordium. Nullus eſt
 Pfalmus, qui Dei perfectiones, maiestatem, po-
 tentiam, clementiam, bonitatem non celebret
 & extollat. Proinde Pfalmus & Hymnus ſynony-
 ma ſunt, quia vterque laudem continet. Hæc o-
 randi forma vim poſſidet magnam ad perſuaden-
 dum & obtinendum quod poſtulatur. S. Baſilius
 ſuggererat artem illam Oratorū, qui numquam
 narrationem aggrediuntur petitionis, niſi prius
 beneuolum ſibi ſtudeant conciliare animum ſiue
 Iudicis, ſiue Principis, ſiue populi, apud quos
 perorant, ordientes à laudibus ipſorum.

Dixi, *Niſi aliud poſtulet vrgens ratio aliqua,* ^{psalmi qui-}
 quia, vt experientia conſtat, aliquando abſq; lau-^{dam iniiū}
 dum exordio, & vt aiunt, ex abrupto vocese-^{ſumunt ex}
 mittuntur deprecatoriæ, imò & cum aliqua ani-^{abrupto.}
 mi anxietate, vt Pfalmo 73. *Vt quid Deus repu-* ^{Pſal. 73.}
liſti in finem, iratus eſt furor tuus? & Pfalmo 68. ^{Pſal. 68.}
Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aque
uſq; ad animam meam. & alijs multis. Quibus
 orandi modis ſatis oſtendit Dauid, vel iam alium
 præmiſſum eſſe Pfalmum ad normam ſolitæ lau-
 dationis, vel aliqua neceſſitate compulſum vr-
 geri & premi ad ſic ordiendum. Hoc certè modo ^{In oratione}
 poſſe etiam à nobis orari Deum, docuerunt ſancti ^{poſſunt o-}
 Patres, non ſecutiſ ſcilicet regulis præmittendi ^{miti præ-}
 exordia, ad Dei beneuolentiam magis concilian-^{ludia.}
 dam; ſicuti neq; Oratores in grauib; negotijs
 exordia præmittunt, ſed ab ipſa facti narratione

incipiunt, præsertim quando agunt cum Iudice de causæ statu iam edocto.

*Non omnes
Psalmi o-
rant, sed di-
uersi gene-
ris effectus
habent.*

Addidi quoque, quòd omnis Psalmus deprecatorius sub hac orandi forma à Dauide dicatur, quia, vti notum est, non omnes Psalmi orationem deprecationemve continent, sed varias exhibent materias. Alij toti sunt in genere demonstratiuo laudes Dei præcinentes, iustorumq; fautores & dona enarrantes. Alij in genere iudiciali vindictam à Deo contra improbos pertinaces exposcentes. Alij in genere didascalico, amore Dei, legis obseruationem, virtutum exercitia docentes. Alij sunt historiales, siue beneficia Dei siue populi facinora, tam bona quàm mala, siue feriem gestorum describentes. Alij in futurorum prædictione toti, præsertim circa nostræ Ecclesiæ mysteria & euentus. At quando orat David precatur, vt plurimum laudes præmittere solet.

*Oratio lau-
dibus con-
iuncta est
gratior
Deo.*

Hanc orationis formam, quæ habet laudes coniunctas, volens Deus signis ostendere sibi gratam, vt Ecclesia nostra eam libentiùs amplecteretur & imitaretur, dignatus est mira visione comprobare, dum ciuitas Constantinopolitana magna premeretur afflictione, ob quosdam minas ei diuinitus factas, nisi condignam offerret satisfactionem. Indicta namq; supplicatione communi ab Archiepiscopo Proclo, populus oraturus accessit ad Ecclesiam, dubius de orationis

*Oratio tra-
dita ab An-
gelis ad
Deum pla-
candum.*

effectu. Dum tota vrbs in vnum congregata conuenisset ad orandum, ecce repente coram omni multitudine raptus est in cælum puer è populo, qui ab Angelis edoctus Hymnum quemdã proferre, in quo laudantur præcipua Dei attributa, nimirum sanctitas, maiestas, potentia, & du-
ratio,

ratio, his verbis: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* mox reddito puero, & quod edoctus fuerat annuntiante, omnis multitudo vna voce cantarunt sæpiùs eundem Hymnum; quo dicto, illatæ minæ statim cessauerunt. Refertur hæc historia à D. Ioanne Damasceno.

Verùm ne ab instituto nostræ Hymnodicæ longè discedere videamur aliena quærentes exempla, obseruare licebit in ipso Hymnorum Auctore magnam æstimationem huius generis orationis, quæ coniunctas habet diuinas laudes: nam videmus eum ex huiusmodi orationis genere sibi certò promittere omnis euentus felicitatem. Id conspicimus præcipuè in Psalmo 17. vbi, narraturus Dauid futuris hominibus modum ac viâ, quibus se facillimè poruit feliciter expedire à tot insidijs & persecutionibus potentissimorum hostium, quibus ante coronæ & sceptri consecutionem fuit haud rarò ad mortis certissimum discrimen perductus, non aliud sibi validius efficaciusq; effugium fuisse declarat, quàm refugium ad suos Hymnos laudibus diuinis refertos, quorum cantui & vsui maximè fidebat. Verba ipsius ad maiorem fidè dictorum audiamus: *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.* Vide quod in primis sibi statuebat genus orationis, nempe non solius cordis seu mentis, sed mentis & vocis simul coniunctæ; nec tantùm simplicis orationis cum sola inuocatione, sed coniunctæ laudibus, de more, idcirco ait: *Laudans inuocabo Dominum.* Euentum deinde sibi promittit certum: *Et ab inimicis meis saluus ero.* Et, quod caput est præcipuum, quidquid sibi fiden-

D. Ioann.
Damasc.
lib 3. Fidei,
cap. 10.

Psal. 17.

ter

Dauidis fiducia in suis vocalibus orationibus.

Pfal. 17.

ter spondebat, tanta obtinebat velocitate, vt saepe videretur prius obtinuisse postulata, quam postulationem expleuisse. Hinc in eodem Psalmo, statim ac sibi praescripsit sanctus Hymnographus istud genus orationis, prosequitur narrationem suarum angustiarum quibus valde premebatur. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circumdederunt me, praoccupauerunt me laquei mortis.* tum subdit gratiam liberationis à Deo obtentam in ipso momento: *In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui; & exaudiuit de Templo sancto suo vocem meam, & clamor meus introiit in aures eius.* O miram auctoritatem orationis vocalis in Hymnis Dauidicis decantatis ex corde prolata!

In oratione primò petenda sunt spiritualia.

Matth. 6.

In Dauidicis Hymnis item exercetur illa orationis forma, quam laudauit & iussit Dominus noster Saluator dicens, vt primò à Deo postulentur spiritualia ad Regnum Dei spectantia, quae magis necessaria sunt, & quae sunt vera bona: *Querite primum Regnum Dei, & iustitiam eius.* Dauid multus est in postulanda Dei misericordia, benedictione, cognitione, amore & fruitione.

D. Ambrosii. de Abel & Cain. Psal. 66.

Expendebat ad hoc institutum D. Ambrosius orationem illam verè perfectam, quam ipse vocat absolutissimam, Psalms 66. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis; illuminet vultum*

In suis orationibus petebat Dauid animi benedictiones.

suum super nos, & misereatur nostri. Vbi postulat sibi & alijs omnem benedictionem ad animæ profectum opportunā. Hunc Psalmum valde aestimabat S. Athanasius, eumq; suggerebat Marcelino, vt quoties diuinam misericordiam esset imploraturus, ipsum vsurparet, & caneret. Eundem adhibet

adhibet Ecclesia quotidie, nec ab illo vniquam cessat. De hoc Psalmo pronuntiabat D. Hilarius, & D. Hieronymus, quod brevis quidem sit, sed omni Euangelica doctrina refertus; quia omnis Scriptura, siue Prophetarum siue Apostolorum, in ipso contineatur. Nam si Prophetæ Vnigenitū Dei venturum annuntiarunt, & Apostoli eundem venisse prædicarunt, vtrumq; asserit in hac breui oratione, & confitetur Psaltes: *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.* en secuti aduentus narratio. *Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* en futuri aduentus prædictio. Non ideo tamen omittebat Dauid postulare in suis Psalmis & precibus bona temporalia, liberationem à persecutionibus, quas multas est expertus, Regni felicitatem populiq; lætitiā, imò & bona illa, quæ Deus, vti Naturæ Rector, omnibus providere non desinit, pluuias, rores, fruges, & huiusmodi; quemadmodum Psalmo 64. fieri videmus. Probè nouerat sanctus Rex, quòd, etiamsi decreuerit Deus nobis hæc bona conferre, sit nihilominus exorandus, quia vnum ex medijs, propter quæ daturus est Deus naturalia bona, præcipuum sint preces & orationes cum humilitate oblatae.

Hanc orandi formam voce alta & canora à Dauide frequentatam, & ab omnibus Sanctis approbatam & commendatam, attendant ij, qui, solam mentis orationem tacitè expletam putantes Deo acceptam, abstinent ferè ab omni vocali oratione, tamquam à re vel omnino inutili, vel saltem feminis tantum ac radibus apta. Dauid vit sanè fuit egregius summoque præditus ingenio, contem-

Psal. 66.

Ibid.

Temporalia
possunt peti
in oratione.In oratione
petenda sūt
bona natura.

contemplationisq; diuinorum apprimè gnarus, tacitaq; meditationi ita familiaris, vt potuerit liberè testari, se huic generi meditationis aliquas noctis horas frequèter tribuisse, & in diuinorum operum, tum præteritorum tum futurorum, meditatione, & in sui ipsius cognitione ac discussione se exercuisse: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* & post pauca: *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor.* Hic tamen tantus vir frequentiores suas preces alta, clara ac canora moluit explere voce, quàm sola cordis tacita meditatione. Id testantur tot insignes Psalmi, quorum plerique sunt omnino deprecatorij, explicantes varios affectus cordis, vel ad Deum anhelantis, vel à Deo poscentis gratias, dona, virtutes, auxilium, vel diuinam legem Deiq; attributa & perfectiones colentis, eiusdemq; beneficia recolentis.

Psal. 76.

Vocales orationes ex animo expleta sunt gratissima Deo.

Huiusmodi preces & voces, quia ex cordis vehementia per linguam cordis nuntiantur, sicuti à Rege sancto frequentabantur, ita à Deo, cui erant valdè acceptæ, semper & ad propriam ipsius orantis & ad communem Reipublicæ, pro qua fundebantur, incolumitatem felicitatemq; exaudiebantur, vt fusè per totum hunc Librum ostenditur. Hinc ipse Dauid, priusquam in nuper allato Psalmo verba faceret de tacita sua mentis meditatione, testatos voluit certissimos vocalis suæ orationis effectus: *Vocem meam ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi;* vel, vt in Hebræo textu habetur, &

Psal. 76.

ANVA

aures mihi prœbuit. Numquam enim aut irritæ aut vacuæ redibant eius deprecationes, sed benignè audiebantur & exaudiebantur ab eo qui aures exhibebat intentas. Vocales istas orationes in Davidicis Psalmis dispositas non solum adhibuerunt Sancti omnes tum in veteri tum in nouo Testamento, sed & ipse Sanctus Sanctorum & Seruator noster Christus Iesus vsurpauit, ad nostram informationem. Quamuis enim paucissima, sed feruidissima, eiusdem Domini nostri verba in vltima oratione vocali, quam in horto Gethsemani fudit ad Patrem, habeamus ex sacris Euangelijs; quia tamen, referente S. Luca, prolixius orauit, &, secundum nonnullos Interpretes, propter illa verba eiusdem Domini ad discipulos, *Non potuistis vna hora vigilare meum?* putatur ad integram horam produxisse eam orationem, ideò S. Anselmus in libro de Passione, sub initium, refert plura verba ex Psalmo 68. à Christo Domino vsurpata. Et extra omnem dubitationem scimus, quòd ipse existens in cruce extremas ad Patrè direxerit vocales orationes ex Davidicis Psalmis depromptas: *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?* ex Psalmo 21. *In manus tuas commendo spiritum meum,* ex Psalmo 30. Non sunt itaq; spernendæ vocales orationes, neq; dicendæ aut vanæ aut ineptæ. Licet enim sint minimè necessariæ voces oris, vt Deo innotescant cordis affectus, sunt tamen effectus ipsorum, qui in animo nostro resident, affectuum; nec affectus istos illi aut impediunt aut minuunt, sed adiuuant perficiuntque. Deinde quæ sunt ab incarnato Verbo diuino vsurpata ad nostram informationem, ea non debet quisquam aut erubescere, aut spernere.

Ad

Luc. 22.

Matth. 26.

S. Anselm.
lib. de Pas.

Psal. 21.

Psal. 30.

Ad hanc rem faciunt opportunè quæ luculentè
 D. August. scripsit D. Augustinus, dum expenderet eam
 Tract. 104. rationem alta & clara voce expletam, quam Do-
 in Ioan. minus noster coram discipulis prolixè fudica
 Patrem in cœnaculo, *Pater, venit hora, clarifico
 Filium, &c. Paterat Dominus noster*, ait S. Augu-
 stinus, *orare silentio, sed ita se Patri exhibere vo-
 luit precatorem, ut meminisset se esse nostrum. De-
 ctorem: proinde eam quam fecit orationem pro no-
 bis, notam fecit & nobis; quoniam tanti magistri non
 solum sermocinatio, sed etiam oratio, discipulorum
 est edificatio.*

Qui orandi modus per Hymnos perfectior
 redditus ex forma vsui Psalmorum tradita ab
 Hymnographo, qui septenis vicibus in die huius
 Psal. 118. seruabat modum, sicut de se ipso scribit: *Septem
 in die laudem dixi tibi.* quam formam libenter
 amplexa est & tenet nostra Ecclesia in suis pu-
 blicis quotidianis precibus. Magna profectò
 Orationis hoc numero adiungitur nostræ orationi perfectio
 septenarius numerus in tum quia hoc numero septenario aptius à Deo
 die magnis exoratur eius gratia, quæ per septiforme Spiritus
 mysterijs cordibus nostris dispensatur: nam septem est
 scatur. Spiritus sãcti charismata nouimus ex Isaia; tum
 Isai. 11. etiam quia oratio non semel dirigitur ad peccato-
 Prouer. 24. rum obtinendam veniam. Sicut igitur septies
 die peccare dicitur iustus; septem item diebus
 Marci 18. peccata capitalia, quæ ab Euangelistis appellan-
 Luc. 8. forsan fuere septem dæmonia; seu etiam sunt se-
 Prou. 26. ptem illæ nequitia, de quibus Auçtor Prouerbio-
 Hora Cano rum ait, *Septem nequitia sunt in corde illius: in
 nica quare septies ordinata est Psalmorum oratio, ut antequam
 sint septem.* tum præberetur opportunum ad vitia vel ante
 lapsum vitanda, vel post lapsum delenda. Vlti-
 rius

rius, quia septem docuit Christus Dominus faciendas in Ecclesia petitiones, traditas in illa forma precandi, quam commendauit Matthæi cap. 6. quæ inde dicta est oratio Dominica, in qua quidquid piè peti potest à creatura mortali, vel ad finem vltimum consequendum, vel circa media opportuna, ad eiusdem finis consecutionem expostulatur; ideò, ad eiusdem doctrinæ imitationem, imò ampliorem dilatationem, vt easdem petitiones sæpius feruentiusq; iteremus, quotidie institutæ sunt septem Horæ precandi. Addere deniq; alijs libet, quòd sicut Deus Optimus Maximus septem diebus opus absoluit creationis; ita par est, vt homo, in cuius gratiam omnia sunt condita, nomine omnium creaturarum Hymnos in laudem & gratiarum actionem conditori Deo septies in die persoluat. Nec suo vacarent oppor-

Hora Canonica à quibusdams octo recensentur.

tuno mysterio eadem preces Hymnorum, si ab aliquo cõtenderetur non septem tantùm, sed octo esse enumerandas, ob eam rationē, quia aliquãdo in Ecclesia cõsuetudo fuit Nocturnos separatim à Laudibus concinere; nam etiam iste octonarius numerus in sacris Literis inueniretur præcipuis decoratus arcanis, quæ diligenti studio collegit & descripsit Bartholomæus Gauãtus initio sui Octuarij, ad communem pfallentium commoditatem editi. Verumtamen quia nunc passim & vbique Nocturni cum Laudibus recitari solent, & pro vnicâ habentur hora; ideò etiam frequentiori sãctorum Doctõrum & Theologorum calculo septenarius tantùm numerus harũ Hymnodicæ precum comprobatur & celebratur. Vrgeri præcipuè ab omnibus solet exemplum sancti Dauidis, primi celebrioris Hymnodicæ Auçtoris, qui se-

F

pties

pties in die Hymnos Deo offerebat. Quam septem
nam formam Angeli cælestes miris & suauissi-
mis signis non destiterunt comprobare; concina-
re non semel volentes vnà cum mortalibus eodem

Angelicum Hymnos iisdem vicibus septem. Nobile fit
D. Magda- huius dignationis Angelicæ experimētum illud
lena septem quod cum Seraphica Magdalena, in eremo Ma-
Canonicas filiensis vitam victu asperam, sed oratione, precibus
concinebant & contemplatione suauissimam degente, per
Horas. triginta continuos annos numquam intermiserunt.
Dum enim hæc sanctissima mulier per septem
statis horas dilecto Deo Hymnos offerre solet
quotidie, toties ab Angelis visitata, eorum
manibus in æthera subleuata, audiebat cælestium
Angelicos concentus eandem Hymnodiam
oblatam suauissimè præcinentes.

Oratio quo- Non omittendum est beneficium singulari
modo possit quod ex hac orandi septenaria forma percipitur
esse sine in- Ecclesia, ad monita Domini nostri exequenda. Nam
termis- per hæc orandi spatia tam verè quàm suauiter ex-
sione- pletur in Ecclesia illud Domini nostri Saluatoris
ne. celebre monitum : *Oportet semper orare, & non*

Luc. 18. *deficere.* Verba ista non ad Mathematicum rigorem
Verba Do- rem sunt indiscretè trahenda, quasi omnibus om-
mini, nino momentis orationi sit vacandum, quemad-
Opor- modum sumebantur à Messalianis hæreticis, qui
ret semper tam indiscretè conabantur insistere orationi, ut
orare, quo- teste S. Augustino, ad incredibilitatem vsq; ad-
modo exple- mirabilem vim sibi ipsis inferrent : nam tum ratio,
antur ab tum natura huic violentissimæ intelligentiæ
Ecclesia. cōtradicit. Aliæ enim curæ cum oratione proprie
D. Aug. de sumpta minimè reperiri possunt, & sunt omnino
Hæres. ad necessaria nostræ naturæ, quas omittere absque
Quod uult- culpæ reatu non liceret : ut si quis, ne ab oratione
deum. de-

desisteret, curam domesticorum omitteret, is, ex Pauli sententia, habendus esset infideli deterior. *i. Tim. 5.*
 Item necessarius est somnus vitæ sustentationi, quo tempore orationis attentio, imò & omnis rationis actus omnino impeditur. Dominus quidem noster Saluator hoc gaudebat priuilegio *Christus Dominus etiam dormiens orabat. Cant. 5.*
 propter scientiam infusam, vt dormiens orare possët, ac si vigilasset, iure ea vsurpans verba: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Verba igitur à Domino nostro, qui erat non tantùm verus Deus, sed etiam verus homo, prolata, & hominibus orationis studiosis tradita, humano modo sunt accipienda, eo scilicet modo quo homines in alijs similibus studijs solët similia proferre verba. Sicut de hominibus siue literarum siue ludi, siue venationis siue picturæ studiosis communiter pronuntiamus, quòd semper siue studijs siue ludo, siue venationi siue picturæ operam continuam præstant, nec vnquam ab illis desistunt, cùm tamen non omnibus omnino momentis huiusmodi studio sint intenti, absq; alijs tum naturæ tum status necessarijs officijs, hoc enim repugnare & falsum omnino esse omnes nõuerunt; sed quia præcipuas diei horas, ab alijs curis liberat, ille literis, iste ludo, hic venationi, alter picturæ tribuunt. Hoc sensu, qui est vsui humano & rectæ *Impossibile est omni momento orare.*
 rationi conformis, sumpta verba Domini nostri *S. Eligii Homil. I. I. in Cæna Domini Venerabil. Beda in Luc. c. 18.*
 mira suauitate explentur perfectissimè à nostra Ecclesia, dum per septem Horas Canonicas, alias nocturnas, diurnas alias, Hymnorum orationi sollicita incumbit per ministros ad id munus deputatos. Quòd non minùs grauitè quàm verè assertum est primò à S. Eligio, deinde à Venerabili Beda his verbis: *Quis autem potest semper orare,*

orare, ac sine defectu & intermissione precibus consistere, ut nec alimentum sumendi nec dormiendi tempus habeat? cui ergo dicendum est, Oportet semper orare, & non deficere, nisi ei qui Canonicis Horis quotidie, iuxta ritum Ecclesiasticae traditionis Psalmis, precibusque consuetis Dominum laudare & rogare non desistit?

In Ecclesia quomodo oratur omni tempore.

Hæc consideratio urgetur vehementius a rem nostram, si spectetur Dominicum illud monitum, tamquam ad Ecclesiam eiusdem Domini nostri sponsam in primis directum. Ecclesia sicut non in vno tantum residet loco, sed ubique per totum terrarum orbem viuit, congregatur fidelibus tamquam ex membris; ita potest sanctissimi sui sponsi præclarum monitum etiam in re ad rigorem perfectum explere. Cum namque ordinatam horarum distributionem in publicis Hymnorum cantu præcipuè tum Collegiatarum singulares tum Regulares Ecclesiæ, per totum terrarum orbem dispersæ, diu noctuque obseruari euenire facile poterit, propter horizontis varietatem, ut in Operis ostendimus Præfatione, quod omnibus ferè horis diurnis nocturnisque Deus ab Ecclesia sponsa sua indefinente oratione verè realiterque colatur. Huiusmodi prærogativa haud mediocriter commendat præstantiam institutionis & usus publicæ Hymnodicæ, imò dixerim, eiusdem ostendit in Ecclesia necessitatem. Nam per verbum *oportet*, à Domino nostro servatore usurpatum in suo ad discipulos monitum indicatur aliqua necessitas, non autem sola congruentia orandi semper sine intermissione. Dum itaque verè suauiterque per usum publicæ Hymnodicæ illud obseruatur Domini nostri monitum

clarè

clare colligitur quasi necessitas eiusdem publicæ Hymnodia. Similis profectò diuini moniti executio nequit exactè reperiri in aliis eiusdem Ecclesiæ precibus priuatim expletis, siue voluntariis, siue debitis. Nam cum priuatæ preces statas ac firmas minimè seruent horas, sed quilibet prohibito suo accedat ad orandum quodcumque ipsi placuerit, minimè quoque poterunt omnem diurni nocturniq; temporis complecti ambitum; sed plurima diei spatia facillimè inuenientur orationibus omnino vacua, alia omnino plena, cum id videatur necessariò consequi ex hac libertate accedendi siue ad orationem, siue ad alia opera.

Suauitas ista magis augetur in hac septenaria *In oratione* forma; quia cum animus noster eius sit condi- *vicissitudo* tionis, vt vni eidemque rei semper vacare non *iuuat ani-* queat, sed ad alia facillimè, etiam nolens & in- *mi atten-* uitus, diuertere cogatur, vicissitudo & varietas *tionem.* cum Psalmorum tum Horarum studium attentionis meliùs fouere valet, & adiuuare. Nec est vicissitudo & varietas omnino libera, quæ sua libertate possit animum faciliùs in exterioribus curis semper retinere, sed est temporibus alligata, vt animus ad statas horas orandi excitetur, vnde & nomen Horarum Canonicarum huic orationis formulæ est meritò tributum. Nam sicut hora *Hora Ca-* significat temporis spatium determinatum, nem- *nonica un-* pe vigesimam quartam partem diei naturalis; ita *de dicta.* Canonica dicitur, quia regulariter obseruanda *Gratian. ex* traditur, nam Canon Græcè Regula redditur *Isid. Ca-* Latinè. *non. Reg.* *dist. 3.*

Sectarij licet Psalmos adhibere nouerint aliquando in suis conuenticulis, eos tamen nulli adstrictos legi aut obligationi volunt, sed ad voluntatis

luntatis libitum eligunt. Et sicuti præcipuis virtutum actionibus ab Ecclesia Romana approbatis sunt sub specie pietatis maximè infensi; ita ad ferere non erubescunt, vt se ipsos à Canonicarum prædictarum precum penso eximant, hunc numerum septenarium precum esse vanum ac superstitiosum, quasi non debuerint diuinæ laudes coarctari ad certum numerum, aut ad determinatum tempus, cum ipsemet Hymnographus spondere soleret easdem laudes absque vlla lege aut numeri aut temporis; *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo.* Verùm huic impudentissimæ calumniæ occurrit semet sanctus Hymnographus ab illis perpetrata allatus: nam alibi declarans, quomodo spondentem illam à se factam, semper & in omni tempore benedicendi ac laudandi Deum, expleat, ait se stata tempora admissim obseruasse, nimirum septem vicibus ac horis per singulos dies offerendo Hymnos Deo. Huiusce veritatis amplissimum testimonium extat Psalmo 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Non igitur numerus Hymnorum, nec determinatio horarum seu temporum (nisi aliunde vitietur) poterit superstitionis argui; præsertim quia nititur publica sanctæ matris Ecclesiæ auctoritate, & sancti Dauidis exemplo, hanc laudandi & orandi Deum formulam approbantium. Imò huiusmodi numerus asserti debet maximè commodus humanæ imbecillitati, quæ, vt iam diximus, potest idcirco orationi perpetuæ vacare studiosius atque perfectius.

Psal. 33.

Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo. Verùm huic impudentissimæ calumniæ occurrit

semet sanctus Hymnographus ab illis perpetrata allatus: nam alibi declarans, quomodo spondentem illam à se factam, semper & in omni tempore benedicendi ac laudandi Deum, expleat, ait se stata tempora admissim obseruasse, nimirum septem vicibus ac horis per singulos dies offerendo Hymnos Deo. Huiusce veritatis amplissimum testimonium extat Psalmo 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Non igitur numerus Hymnorum, nec determinatio horarum seu temporum (nisi aliunde vitietur) poterit superstitionis argui; præsertim quia nititur publica sanctæ matris Ecclesiæ auctoritate, & sancti Dauidis exemplo, hanc laudandi & orandi Deum formulam approbantium. Imò huiusmodi numerus asserti debet maximè commodus humanæ imbecillitati, quæ, vt iam diximus, potest idcirco orationi perpetuæ vacare studiosius atque perfectius.

Psal. 118.

Septies in die laudem dixi tibi. Non igitur numerus Hymnorum, nec determinatio horarum seu temporum (nisi aliunde vitietur) poterit superstitionis argui; præsertim quia nititur publica sanctæ matris Ecclesiæ auctoritate, & sancti Dauidis exemplo, hanc laudandi & orandi Deum formulam approbantium. Imò huiusmodi numerus asserti debet maximè commodus humanæ imbecillitati, quæ, vt iam diximus, potest idcirco orationi perpetuæ vacare studiosius atque perfectius.

Habemus itaque à Dauide in eius Hymnorum vsu perfectam ex omni parte orandi formam, imò & materiam copiosam; nam & verba ipse

tradit

tradit ad hanc rem opportuna, siue ad gratiarum actionem, siue ad placandam diuinam iram, siue ad misericordiam exorandam, siue ad gratias postulandas, siue ad Dei perfectiones celebrandas absque vlllo timore vel periculi vel erroris, cum certi omnino simus, omnia verba Psalmorum esse à Deo auctore. Ex his desumunt viri spirituales illas breues orationes, quæ à iaculis efficaciter operantibus dictæ sunt iaculatoriæ, quibus conceptum in oratione & contemplatione feruorem facilius conseruant. Quare D. Basilius commendabat vsum Psalmorum viris virtutis studio: quia sicut magno sunt adiumento, tum ad obtinendum quod desideramus, tum ad mala auertenda, tum ad gratias Deo reddendas; ita copioso abundant diuino Spiritu, ignemque continent ardentem, qui ruminantes & proferentes illos inflammat. Verus, vt tandem concludam, bonæ orationis magister & doctor extitit Ecclesiæ in suis Psalmis sanctus Hymnographus; ita vt qui orare nesciret, ex solo Psalmorum vsu frequenti ediscere possit perfectam orationem, & omnes orationis actus præcipuos, cordis humiliationem, animi compunctionem, sui ipsius oblationes, Dei colloquutiones, postulationes, laudes, exclamationes, lacrymas & desideria, quia omnium affectuum exempla passim inueniuntur in Psalmis.

*Orationes
iaculatoriæ
ex Psalmis
eruantur.*

*D. Basil.
Procem. in
Psalm.*

*Orationis
magister est
David.*

CAPVT IX.

Contemplationem nutrit Hymnodia.

*Vita con-
templatiua
dignitas.*

Luc. 10.

*Vita mixta
ex contem-
platione &
actione,
qua.*

Gen. 29.

D. Gregor.

l. 2. in Ezech.

Homil. 15.

D. Bern.

Serm. 41.

in Cantic.

Ioan. 1.

Angeli con-

templatio-

nem actioni

coniungūt.

NOBILISSIMA contemplatiuorum vita, quae in Ecclesia militante primum dignitatis locum vendicat, iuxta Domini nostri Seruatoris sententiam, qui Mariae otium praetulit Marthae negotiis, pronuntians aurea illa verba, *Ma-
riam optimam partem elegit*, à Dauidicis Hymnis opportunum expectare proficetur alimentum. Scimus enim huiusmodi contemplatiui puram exercere contemplationem absque communicatione & societate actionis, cuiusmodi erat vita Mariae, quae de Marthae negotiis nihil conscia, ad pedes Domini vacabat dulcedini verbi, qualis exercetur multis Religiosorum Ordinibus, qui toti sunt diuinorum contemplatione positi: siue contemplationis studio coniungant actionis occupati-
ones, quales sunt praecipui Regularium Ordines, qui perfectioris vitae cupidi, non sola actione contenti nec sola contemplatione, vtramque seipsis complectuntur, modò ad istam exeuntes modò ad illam redeuntes, neutram aut orientes aut dimittentes, imitatores sancti Patriarchae Iacobi, qui duas sorores, pulchram Rachel & lippam Liam, habuit sibi fideles uxores quarum illa contemplationis, ista actionis typum gerere dictae sunt à communi sanctorum Patriarchae sensu; imitatores etiam Angelorum caelestium qui ab eodem Patriarcha visi sunt ascendentes & descendentes per scalam, qui etiam in nouo Testamento dicti sunt ascendentes & descendentes
supra

super Filium hominis. Qua ascensione & descensione, in sensu allegorico, intelligit diuus Bernardus operationes contemplationis & actionis, dicens: *Ascensio propter se, descensio, vel potius condescensio, propter nos; ascendunt per contemplationem Dei, descendunt per compassionem tui, ut custodiant te in omnibus viis tuis; ascendunt ad vultum eius, descendunt ad nutum eius, quoniam Angelis suis mandauit de te.*

D. Bern.
Serm. 11.
in Psalm.
Qui habitat.

Huius præclarissimæ vitæ mixtæ illud aureum pronuntiatum frequentare solitus erat Venerabilis noster Institutor, Antonius Maria Zacaria, in suis Aphorismis spiritualibus: *Hac vita est otiosa in opere, & operosa in otio, vita, inquam, potius Angelica quam humana: quia sicut Angeli eodem temporis momento & Deum contemplantur, & nostra cooperantur saluti; ita vitam exercentes mixtam, & manum operi & mentem Deo intentam habent. Vtrique igitur gradus contemplatiuorum Hymnodicæ vsus, tamquam escam propriam contemplationis, prosequuntur.*

Ant. Maria
Zacaria in
Aphor. v.
Vita mixta.
n. 12. & 13.

Huius præclari vsus luculentissimum nobis præbuit testimonium Philo Alexandrinus, qui fuit non solum Apostolorum synchronos, sed & Petri aliquando amicus. Hic scribens librum de Vita contemplatiua, inter cetera huic vitæ magis familiaria, commendat precum & Hymnorum frequentem vsus; & ibi per errorem, suorum putans Hebræorum gesta insignia describere, teste sancto Hieronymo, narrat veterum Christianorum mores sub Euangelistæ Marci disciplina, referens eos quotidie bis conuenire solitos ad Hymnos & orationem, manè scilicet & sub vesperam: oriente sole petebant diem felicem, ut-

Philo Hebræus l. de
Vita contempl.

D. Hieron.
de Script.
Ecclesiast.

que mentes eorum caelesti replerentur lumine
occidente autem sole, vt, anima exonerata sensibus in totum moleque rerum sensibilem, veritatem vestigarent in consistorio domestico.

Contemplatio prouocat Psalmodiam, & Psalmodia fouet contemplationem.

Cant. 2.

Quamuis tota ratio contemplationis non in solo Hymnorum vsu sita esse dignoscatur, sed in aliis quoque similibus occupationibus, inter quas insigniores sunt, sacrarum Scripturarum lectio, oratio & meditatio; nihilominus neminem non fateri cogetur; quod in sacra Hymnorum frequentia & vsu animus facilius Deo vniamur dum eius laudes celebrat & recolit. Dum cantum lingua, cor intus tunc exultat, totusque homo interior & exterior, quasi cithara dulciter ex duabus chordis temperata, ex animo scilicet & corpore, summa perfruitur delectatione. Hinc anima Canticorum, quando in Dilectum suum maiori rapiebatur impetu ob vim contemplationis, inuitabatur ab ipso Dilecto ad canendum voce exteriori: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* En quomodo contemplatio prouocat ad cantum Hymnorum; sicut Hymnorum cantus contemplationem nutrit atque fouet, ob multitudinem tum arcanorum, tum mysteriorum tum operum diuinorum, quae in illis Hymnis abundant, copiosam. Modò Dei celebrantur attributa; modò gesta diuinæ potentiae narrantur; modò dulcedines diuinæ benignitatis & misericordiae recoluntur; modò opera diuinæ bonitatis, iustitiae, prouidentiae & sapientiae recensentur; modò diuinæ legis encomia, fructus, praemia, siue etiam poenae decantantur, ex quibus vberem materiae segetem haurit contemplatio.

In

In his obuiam habet vterque contemplatiuo-
rum oculus obiecta opportuna, ita vt modò is, Duos ocu-
los habent
contempla-
tium.
modò ille, modò vterque oculus simul suas ex-
pleat visiones. Vtrumque dico oculum; quia con-
templatiuorum mens appositè describitur à no-
stro Zacaria, duos habens oculos, sinistrum & Ant. Maria
dexterum, sicuti duo sunt genera obiectorum Zacaria in
contemplationi apta: *Sinister oculus*, ait, *respicit* Aphor. v.
obiecta lumine natura cognoscibilia, veluti substan- Contem-
tiam Angelorum, creaturarum ordinem, Dei pro- platio. n. 23
videntiam, bonitatem, & id generis attributa, ad & 26.
qua natura lumen pertingere potest. Oculus dex-
ter altiùs ascendens, penetrat secretiora diuinitatis
arcana & sacramenta; qua non nisi lumine gratie
altiori possunt attingi.

Dum animus his verbis voce cantatis attendit,
assurgit paulatim in diuinum amorem, imò ali-
quando sensim in Deum ipsum mirabili modo
transformatur vsque ad ecstasim & deliquium.
Hymnographum in hac re possumus attendere,
qui sicut animo meditabatur quæ exultans decan-
tabat, ita non solùm magna iucunditate afficie-
batur, sed aliquando ecstasim patiebatur; quem-
admodum de se testatur Psalmo 76. vbi enume-
rat varios affectus ex Hymnorum meditatione
haustos: *Memor fui Dei, & delectatus sum*, en Psal. 76.
delectationes quas hauriebat; *& exercitatus sum*, Contem-
en facilitas ad omnem virtutis actionem; *& de-* platio plu-
fecit spiritus meus, en ecstasis & deliquium. Inde rimos esse-
hauriebat alios affectus, vti alacritatem ad no- ctus opera-
uos semper Hymnos, etiam tempore noctis in- tur vsque
tempesta decantandos, *Anticipauerunt vigilias sim.* ad ecsta-
oculi mei; sufferentiam in aduersis, turbatus sum,
& non sum locutus; sollicitudinem maiorem erga
proprij

proprij cordis culturam, *Meditatus sum* cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum; sponſiones noui profectus in Dei, *Et dixi nunc cœpi*; nouas promiſſiones regis contemplationis & cantus Hymnorum, *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab innumerabilibus mirabilium tuorum, & meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor*; leuati uti legit diuus Hieronymus, & adinventiones tuas loquar.

Contemplationi quilibet hominum gradus est aptus.

Ab experimento huius contemplationis Hymnodia nullus personarum gradus iuste test se excusare, siue illæ doctæ sint siue idæ, siue viri siue feminae; omnibus enim communis est contemplatio, nisi obicem ipsi ponant. Nam ad contemplationem perfectam, quatenus diuina liberam mentis humanæ intentionem in speculum diuinæ Sapientiae cum admiratione suspenſam

Richard. de S. Victore lib. 1. de Contempl. cap. 4. *Contemplatio exigit animum à passionibus purgatum.*
S. Gregor. 16. Moral. cap. 27.
D. Thom. 2. 2. q. 182. art. 3.

prout describitur contemplatio à Richardo S. Victore, quilibet animus, qui à Spiritus diuini impetu agatur, est opportunus, nec attenditur, qualis ille sit vel viri vel feminae, vel doctus vel idiotæ; solum attenditur si variis & multiplicibus pœnitentiæ, mortificationis & humilitationis actibus sit à passionum tumultu expurgatus, tunc enim poterit magna tranquillitate ad Deum ferri. Hoc est quod docent sancti Patres dicentes, contemplationem decere animos in vita actiuosa antea valde probatos circa passionum moderationem. Si sumatur contemplatio magis temperata, quatenus dicit considerationem diuinorum per aliquot temporis spatium non modicum, sed mediocriter prolixum, hæc omni personarum generi est communis, sicuti communis

est animus aptus ad considerationem. Imò noui-
 mus ex sacris Litteris, & ex historiis, idiotas ali-
 quando fuisse in humili eorum contemplatione
 raptos à Deo ad secretiora Spiritus diuini sacra-
 menta; & introductos in cellaria diuinorum ar-
 canorum vnà cum sponsa Canticorum, quæ fe-
 mina erat, & diuinorum ignara, antequam con-
 traheret cum Sponso familiaritatem & consuetu-
 dinem. Nam quando narrat hanc suam introdu-
 ctionem in cellaria Sponsi, tunc erat in ipsis ini-
 tiis suæ felicis fortis. Deus itaque, modò inue-
 niat corda pura & nitida, quamuis simplicia &
 rudia, illis se largissimè effundit atque commu-
 nicat. Imò magis aliquando delectatur animo
 simplici quàm docto & sapiente; quemadmo-
 dum alloquens Patrem suum dixit Dominus no-
 ster: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc à* *Matth. 11.*
sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paru-
lis. Ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te.

*Simplices
 idiotæ in
 contempla-
 tione pro-
 ficiunt.*

Quot mulieres idiotæ, quot etiam simplices viri
 in Ecclesia, ob puritatem animi, fuere à Deo ad
 altissima cælestia arcana sublimesque diuinas
 cognitiones euecti, vt potuerint deinde aliis eru-
 ctare quod ipsi abundè hauserant. Testes sint tot
 Oracula rudium virorum, qui Prophetæ effecti
 sunt; & vaticinia simplicium feminarum, quæ
 Sibyllæ appellatæ sunt. Testes sint Volumina plu-
 rima altissimarum sententiarum à Senensi Ca-
 tharina, à Baptista Genuensi, à Teresia Hispa-
 na, à Magdalena Florentina, & aliis feminis con-
 scripta, quæ præ admiratione animos doctiorum
 hominum suspendunt.

*Plurima
 mulieres
 idiotæ in
 contempla-
 tione diui-
 norum ex-
 celluerunt.*

Non est necessarium, ad mentem occupandam
 in contemplatione Hymnorum, vt verba recitata
 intel-

intel-

*Mulieres
rudes piè
vruntur
Psalmis
Latinis.*

Lib. II.
c. XVIII.

D. Thom.
2. 2. q. 83.
art. 13.

Cassianus
Coll. 9.
cap. 31.

*In oratione
animus po-
tius ad Deū
quàm ad
verborum
sensem re-
spicere de-
bet.*

Lib. II.
cap. II.

intelligentur. Magna quidem est perfectio plerumque
lentis, intelligentia verborum, sed non est necesse
cessaria. Noui sectarios improbare vsum non
Catholicæ Ecclesiæ concedentis virginibus Sa-
cramentalibus, & aliis rudibus personis, vt ora-
tes adhibeant Psalmos Latinè conscriptos, qui
non intelligunt. Sed quidquid blaterent isti,
falsò effutiant, clarè constat, huic esse vti-
pium, & Deo acceptum, vti fusiùs Libro
sequente ostendetur. Nam etiam si Latinam
quam non calleant mulieres, possunt tamen
illis recitandis attentionem habere ad Deum
oratur, laudatur, & benedicitur. De sensu
verborum satis suo faciunt muneri personæ idem
si eum intendunt, quem docti, præsertim Eccle-
siæ Rectores & ministri, nouerunt. Quam
attentionem & attentionem declarant sufficienter
omnes Catholici Doctores. Imò dari contra
perfectissimam orationem, etiam si non intelli-
gantur verba prolata. Referebat ad hanc re-
Cassianus pulchram doctrinam D. Antonij A-
batis, dicentis, in perfectissima oratione aliqua-
do animum ita absorberi à Deo, vt orans non
intelligat verba sua. Hinc ortum est illud sancto-
rum Patrum commune proloquium, quod
oratione attendere magis expediat, quem oramus,
quàm quid orando petamus, ita vt oculi
& mente ad Deum semper intendere sit non
solum sufficiens, sed meliùs. Insuper si quis pius
sive doctus sive indoctus, dum Hymnos con-
cinit, mentem in Christi Domini mysteria & op-
era intenderet, quæ faciliùs & suauitè ab vni-
quoque apprehenduntur, vt etiam dicemus Li-
bro sequente, quia, vti docebat diuus Bonifacius

uentur

uentura, versamur circa res & actiones corporeas, quæ à rudioribus facile percipiuntur; is certè occuparetur suauissima contemplatione, ad affectus animi commouendos opportuna. Imò quandoque etiam doctiores difficilè feruntur in diuinitatis perfectiones, & idcirco frequentius ad Christi Domini opera se conuertunt, indeque paulatim, & quasi sensim, ducuntur ad diuinorum sublimitatem. Nullus itaque status hominum, nullus sexus effectibus contemplationis in Hymnodia experiendis est impar, sed quilibet est opportunus & aptus.

Quotquot in Ecclesia veræ contemplationis partes profitentur, Hymnodiaè usum amplexi sunt, vti eiusdem contemplationis præcipuam escam. Ad eam tanta animi alacritate inhiant, quanta cerui solent ad fontes auidè properare; quod fortassis voluit innuere Dauid concinens:

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, nimirum ad Templum tuum, ô Deus, in quo singulari modo habitas, vt Hymnis & confessionibus te laudare queam. Notum orbi est huius Regis ardentissimum votum videndi Templum Deo erectum, vt in eo sibi liceret perpetuam collocare habitationem, quam prætulisset superbo palatio regia magnificentia & potentia constructo.

Ipse de hoc suo voto scribens ait: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite meæ, vt videam voluptatem Domini.* En quanti fiebat ab hoc Rege Hymnodiaè vsus in Templo oblati.

Eumdem animi affectû erga cantum Hymnorum possident viri virtute insignes, qui mysticam

Theolo-

S. Bonau.
lib. de Vita
Iesu Christi
cap. 51.

Contem-
platini di-
ligunt v-
sum Psal-
modia.

Psal. 41.

Dauidis
ardens vo-
tum psal-
lendi in
Templo.

Psal. 26.

Theologiam sunt aliquando affecuti; imò quamlibet occupationem curamque, licet grauissimam, dimittere soliti sunt, in aliud tempus eas differentes, ne statis psallendi horis impediantur ab hoc altissimo munere. Nec huius diligentiae exemplum nobis deerit siue in Dauide, siue in aliis. Si Dauidem attendamus, mirabile profectò studium nobis offerretur conspiciendum qui licet inter summas delicias ab opulentissimo Regno, quando latissima fruebatur pace, oblitus dies noctesque explere potuisset, sicuti multi Principum modò ad venationes, modò ad spectacula & scenas, modò ad aliã id generis delictamenta libenter se conferunt, post grauissimarum expeditionum: qui etiam licet plurimum exegerit annos sub tentoriis inter militares strepitus armorum, exercitus ducens, praelia agens, triumphos reuehens, quando multi duces vix & diuinorum recordantur; nihilominus statis psallendi orandi que horas, quæ plures erant die, numquam aut dimisit aut remisit, sed semper retinuit & frequentauit, qualibet seposita

*Psallendi
usus statis
horis numquam à
Dauide remissus.*

Psal. 118. ra exteriori: Septies in die laudem dixi tibi.

*Cosma Dossenij
mirabiles
virtutes.*

Si de nostris aliquid proferre non dedecet, virum heroicæ virtutis nostri Ordinis memoramus. Nouimus Cosmam Dossenium, qui ob singularem morum probitatem, & in rebus agendis prudentiam, non solum in nostra Congregatione suprema regiminis onera subiit, sed etiam summis Pontificibus, Clemente VIII. & Paulo V. ad grauissima pro Ecclesiæ sanctæ seruitutis munera adhibitus, præsertim quando in supremum Moderatorem Monachorum D. Bernardi Congregationis Fulliensis, & tandem ad Episcopatu

palem infulam Derthonæ, insignis ciuitatis Infu-
briæ, vi bini præcepti fuit euocatus: nouimus,
inquam, Hymnodiaæ aded studiosum, vt non
solum dum Religiosus viueret inter nos, vix
numquam, nisi quando occupationes dilationem
non paterentur, à chori disciplina abesse sit pas-
sus, primus semper chorum ingrediens, vlti-
musque egrediens, tam ad diurnas quàm ad no-
cturnas preces; sed Episcopus etiam cum suis
Clericis & Canonicis diuina semper obire, imò
diebus Festis bis Matutinas præces in choro per-
soluere, semel pridie vesperi vnà cum Capella-
lanis, iterùm summo manè vnà cum Canonicis,
numquã omiserit, nisi maxima premeretur aut ne-
cessitate, aut infirmitate. Hic beatus vir in se ipso
illas condiciones explere studebat, quas D. Hie-
ronymus in optimo Præsule requirebat, dicens:

*Si quis vult Pontifex non tam vocabulo esse quàm Episcopi
merito, imitetur Moysen, imitetur Aaron, de qui-
bus dicitur, quod non discedunt de tabernaculo Do-*

*Episcopi
conditio-
nes qua-*

mini. Noster Episcopus non contentus nomine,
voluit meritum Episcopi, voluit Hymnodiaæ in
Templo assiduus adstare. Religiosi Ordines ferè
omnes, qui contemplationem aut puram ab om-
ni actione aut cum actione coniunctam profiten-
tur, Hymnodiaæ vsum in choro omni studio co-
lunt, & tuentur. Imò vbi plus contemplationis
exercetur, maiori studio diligentiorique discipli-
na retinetur Hymnodiaæ vsus. Sicut non omnes
Ordines, qui vtrumque vitæ genus, contempla-
tiua scilicet & actiua, complectuntur, sunt in
contemplationis gradu pares, sicut nec in gradu
actionis: nam alij plus habent contemplationis
quàm actionis, alij plus habent actionis quàm

*Contem-
plationis
& actionis
varij gra-
dus.*

G

con-

contemplationis; ita plus minúsve habent studium circa Hymnodia vsum. Imò si paulatim Hymnodia deficere permittetur in aliquo Ordine, contemplationis ratio deficere conspicietur. Neque enim modicum tempus orationis privatae factae, neque privata Psalmorum recitatio, contemplationis gradum insignem dicetur constituisse, qualem constituere dicent omnes, Hymnodiam in choro ritè & rectè persolutam.

CAPVT X.

Miras delectationes præbet Hymnodia.

Deliciae spirituales non possunt explicari.

CERTVM ac indubitatum esse debet, raris abundare delectationibus spiritualibus Hymnodia vsum; sed quales illae sint, non possunt quidem experiri, si à Deo illarum auctore & fonte donentur, nullus tamen sermone sequi valebit. Voluit misericors Deus, quòd illis aliquid innuerent sancti viri, vt nos ad eadem perquirèda excitaremur, meliùs dixerim videremur. Vnum profero Hymnographum, quae eas experiens, sicut non poterat prae exultatione seipsum à nouis semper Hymnis concinendis continere; ita numquam describit, quas quantalibet hauriret ex vsu Psalmodiae delicias, eas nihilominus celebrat maiores omni alio deliciarum genere, vt nullam aliam delectationem his aequalem cognosceret, non venationum, non piscationum, non theatrorum, neque ludorum, neque chorearum, neque conuiuiorum, non vinearum, non coniugiorum, neque musicarum, imò omnes alias voluptates simul iunctas floccifera-

Præstant ceteris mundi deliciis.

ciens ac spernens, illas extollebat, dicens: *De- Psal. 18.*
siderabilia super aurum & lapidem pretiosum mul-
tum; & dulciora super mel & fauum. Quam dulcia Psal. 118.
faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! sex-
 centa sunt pronuntiata in Psalmis, quæ decla-
 rant sanctissimi Regis erga has delectationes sen-
 sum singularem, sed omnia perenumerare nimis lon-
 gum esset.

Satis sit illud afferre testimonium, quo decla- *Præfere-*
 rat, se pluris æstimare has delicias quàm Regiam *bantur à*
 ipsam dignitatem, quàm sceptrum eburneum, *Daude*
 quàm thronum auro gemmisque contextum, *omnibus*
 quàm thesauros immensos diuitiarum, simul *delicias à*
 iunctis omnibus deliciis quæ à Regia potentia *Regia po-*
 possunt aut obineri, aut exquiri, tandem quid *tentia com-*
 quid sub oculorum aspectum, imò & cordis ima- *paratis.*
 ginationem potest proponi: Hunc solemnem ani-
 mi sui sensum non semel est prolocutus, præ-
 ferim Psalmo 72. dum in media delectationum
 Regiarum fruitione existens pronuntiauit: *Quid Psal. 72.*
michi est in celo? & à te quid volui super terram?
Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei,
& pars mea Deus in æternum. Vbi paucis verbis
 præfert spirituales delicias omnibus omnino sæ-
 culi diuitiis ac deliciis. Nec dubium vllum de
 veritate huius declarationis gigni poterit in ani-
 mis eorum, qui aliquando meruerunt degustare *Delicia-*
 vim vnus tantummodò harum deliciarum gut- *rum spiri-*
 tulæ; nam illa contenti, renuntiare visi sunt om- *tualium*
 nibus dignitatibus, honoribus, diuitiis, deliciis *mira vis.*
 huius vitæ mortalis. Expendebat ad hanc rem
 Lyranus parabolam lignorum de Rege eligendo *Iudic. 9.*
 consultantium, vbi oliua, vitis, & ficus oblatum
 imperium spreuerunt, contenti sua pinguedine,

lætitiâ & dulcedine: & ex illa sensum moralem eliciens hic Doctor pius, tria hominum genera vult intelligi à tribus illis arboribus significatis. In pingui oliua representatos putat homines celestis olei deuotione plenos; in vite humi replete, homines humiles fastum & arrogantiam deponentes, sed vinum lætitiæ possidentes; in fico dulcissimos fructus germinante, eloquij diuini studiosos, quia omnis sacra Scriptura miris abundat suauitatibus, vt dicitur in Canticis sub nomine Sponsæ: *Eloquium tuum dulce.* Qui itaque

Cant. 4.

sunt huiusmodi præditi conditionibus, plura faciunt eas quas experiuntur suauitates à Deo tibi datas, quàm scepra, & coronas & Regni mundo oblata: imò offerenti ij generosè respondent, se non posse deserere aut dulcedinem, aut pinguedinem, aut lætitiâ, quibus in Dei cœmulantur seruitio, & dicunt: *Numquid possunt deserere dulcedinem meam fructusque suauissimos*

Iudic. 9.

& ire, vt inter cetera ligna promouear? En vis delectationum quanta, vt vincere queat illam dominandi cupiditatem, quæ in homine cum ipsa natura est congenita. Imperium certè & dominium Regum potius deponere, quàm Hymnodia quotidianum suauissimum vsum aliquantulum omittere voluisset Dauid. Hinc aliàs eandem hanc suam degustatam delectationem præferre minimè dubitauit quibuscumque maximorum

Vincunt dominandi cupiditatem.

Psal. 118.

Regum opibus ac thesauris: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.* Omnes dixit diuitias, vt cognosceremus, non vnus tantum Regni opes considerasse Dauidem in hac sua comparatione, quam lætus decantabat, sed omnium Regnorum omniumque moralium

talium hominum diuitias simul coniunctas expendisse; ut vim suarum deliciarum, quas à Deo, cui psallebat ac deseruiebat, haurire solitus erat, validiùs enarraret.

Hæc suauitas cogebat sanctissimum Regem ad vsum illius suauissimi pronominis *meus* passim vsurpati, quasi ad omne verbum, dum alloquitur Deum, appellans *Deum meum*. Nomen istud, Deus meus cum non tam amoris quàm familiaritatis sit, non videtur valdè aptum creaturæ mortali erga tantum Creatorem & Deum, quem potius deceret inuocari nominibus Maiestatis & Reuerentiæ.

Quidam sancti viri, licet diuino æstuarent amore, verentes illud vsurpare, si quando vigebantur ex interno aliquo affectu, excusationem præmittere non omittebant, quasi veniam deprecantes. Hanc reuerentiam libet obseruare in Areopagita Dionysio viro Apostolico ob merita præclara, imò & diuino ob altissimam Theologiam.

Hic de Deo scribens, non ausus absolutè vsurpare pronomen *meus*, licet impelleretur ab affectu, ut affectui satisfaceret, & reuerentiam non amitteret, dicere solebat: *Deus, & si fas est dicere, meus*. Sola suauitas & delectatio, quæ sit maxima, occupans omnem discursum, nescit seruare decorum, præbet licentiam, & sine timore proloquitur, *Deus meus*. Tanta est delectationum à Deo immissarum vis, ut absorpta anima pereat sibi, & quasi in ipsas dulcedines transformata, eructet verba suauitatis plena. Ut aliquando ostenderet Hymnographus vim harum delectationum, eas comparauit primò ebrietati, quæ mentem euertit; deinde torrenti aquarum pleno, qui impetu suo omnia secum rapit, nec ab

*est nomen
delicia.*

*Quidam
Sancti non
audebant
vsurpare
Deus meus,
nisi præmis-
sa excusa-
tione.*

*D. Dionys.
c. i. de Di-
uin. nom.*

*Delicia-
rum vi ab-
sorbetur
animus.*

Psal. 35.

vlla potest impediri vi: *Inebriabuntur ab uberrante domus tua, & torrente voluptatis tua potabis.*

Vbi egregiè S. Augustinus aduertit has comparationes adhiberi, vt quod absolutè est ineffabile, aliquo saltem modo explicetur; & sicut magna est vis ebrietatis supra mentem, magna est vis torrentium in impetu cursus; ita magna est vis delectationum ad mentem in Deum ipsam capiendam, imò transformandam, vt nihil aliud prater Deum sapiat, nihil diligat: quia cùm concepta fuerit illa ineffabilis lætitia, verbis loqui non potest. Augustini; perit quodammodò humana mens, & fit diuina, & inebriatur. Hac lætitia inebriati erant Martyres, qui ad passionem & mortem euntes, non agnoscebant suos, non uxorem

*Consolatio
nes beati
Ephraem.*

tem, non filios, non parentes. De B. Ephraem proditum est, quòd tanta diuinarum consolationum copia aliquando perfunderetur, diuiniuans contemplationibus, vt earum vim ferre non valens, cogebatur exclamare ad Deum, ne

*S. Francisci
Xauerij &
S. Philippi
Nerij quæ,
& quanta.*

obrueretur torrente voluptatum. Imò & hoc est in titulo ultimo de sancto Francisco Xauerio, nati Orientis Apostolo, & de sancto Philippo Nerii plurium Sanctorum in spiritu Patre, scitum quòd talibus fuerint diuinis voluptatibus affluere, vt ad Deum exclamarent coacti, se illis succumbere, nisi eas ipse cohiberet, aut reuocaret.

*Puritas a-
nimi deli-
ciosis reci-
piendis est
apta.*

Verùm non omnes psallentes ad hanc sobriam sanctamque ebrietatem admitti certum est, tantummodò illas sponsas electas, siue solas columbas puritate nitentes, feruore ardentes, amore languescens, quæ in vineam Dilecti inuitantur, vt mustum dulce exprimere ac degustare valeant vnà cum Dilecto; sed tantummodò illi

oues electas & prædilectas, quæ sub oculo diuini Pastoris ingredientibus & egredientibus, pascua vberissima dignæ sunt reperire & experiri, ingredientibus per affectus animi interiores, egredientibus per cantum & voces externas, quibus suauitas magis magisque excrescit. Deus noster quanto magis laudatur, tanto dulcior euadit, absque fastidio crescente appetitu & viribus eum semper magis laudandi, quemadmodum disertè scribit diuus Augustinus ad ea verba, *Laudate nomen eius, quoniam suavis est Dominus.* Psal. 99. Hanc suauitatem copiam illi maximè sentire digni redduntur, qui, præter puritatis studium, nouerunt etiam subducere se à negotiis exterioribus, & ad interiora mentis se ipsos colligere, quasi ad locum solitudinis. His Deus suavis, in remunerationem illius voluntariæ segregationis ab omni externa voluptate, solet miras communicare internas suauitates, vti non obscurè significare voluit nobis sacra Historia, dum Moyses & primorum populi secessum quemdam ad montem Sina, vt oratione Deo vacarent, describit. Postquam montem conscendissent, & contemplationi cuiusdam miri obiecti à Deo ostensi vacassent, comederunt & biberunt. Si quis curiosiùs inquirat, ad quid epulæ & potationes post visionem diuinam, & post contemplationem? in promptu adest responsio, quòd non de epulis & comotationibus materialibus credendum est locutum esse Historicum sacrum, sed de mysticis & altioribus, quas rectè explicat Paraphrastes Chaldaeus, dicens; *Et gavisifunt in Sacrificiis suis, quasi comedissent & biberissent.* Ad explicandas suauitates in illo secessu degustatas, voluit adhibere sacer Textus nomi-

Segregatio voluntaria à tamultibus est delicias apta.
Exod. 24.

Deliciae spirituales describuntur in sacris Litteris nomine conui-

na conuiuij & epularum; quia tales experti sunt viri illi suauitates & dulcedines spiritus, quales in conuiuiis opiparis sentiri contingit à famefcentibus. Concinit huic explicationi declaratio, quam obtulit grauissimus Doctor Lipomanus, dicens *Sic Deus se illis videndum præbuit, ut gaudium maximum ex eius visione perceperint, quas spirituales delicias per edere & bibere circumloquitur.*

*Religionum
status mon-
ti Sina si-
milis.*

Felices nunc cogor prædicare Religiosos, qui ad vitæ Regularis sublimitatem, tamquam ad montem Sina, montem scilicet non solum diuinæ legis cultu, sed & diuinorum consiliorum obseruantia celebrem, montem ad orationem frequentioremaximè aptum, montem cælestium visionibus & contemplationibus familiariter euocati à Deo, possunt faciliùs diuinas degustare delicias. Qui in hoc felici monte nouerunt iuxta Religionis suæ gradum, solitudinem præparare, nisi loci, saltem cordis, ab exteriorum tumultuum & negotiorum strepitu se remouentes, saltem statis horis, quando ad Hymnodia euocantur, & quibusdam anni temporibus, quibus agetur ad finem Libri sequentis, isti aptiores sunt ad comedendū & bibendum coram Deo.

*Solitudo
cordis ne-
cessaria vi-
ro Religio-
so.*

*D. Gregor.
lib. 30. Mo-
ral. cap. 12.*

Nec ab ista cordis solitudine poterit quisquam se iustè excusare, cum obtineri queat etiam in media urbium frequentia; imò quando sola solitudo adesset, absque cordis solitudine illa nihil valeret, vti disertè docuit sanctus Gregorius his grauissimis verbis: *Qui corpore remotus, sed tumultibus conuersationis humanæ terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine; si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum sacula-*

rium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe.

Quando videmus aliquos Religiosos vim harum delectationum non sentire in Hymnodia vsu, sed duritiam & asperitatem experiri, ita vt ad Hymnodiam accedant inuiti, quasi ad soluendum graue tributum & vectigal; tunc signum non obicuum adest, huiusmodi Religiosos plenos esse vel delectationibus sæculi, quæ omnino pugnant cum delectationibus spiritus, vel curis sæcularibus distrahi, quæ directè impediunt delectationes cælestes, ne concedatur: quòd si etiam concederentur, impediunt curæ sæculares, ne sentiantur delectationes. Istitis Deus iustè denegat, quod aliis Religiosis obicem non ponentibus liberalissimè apponere solet. Dicebat sanctus Bernardus, quòd Deus Religiosis personis, quæ sæculo ex animo renuntiarunt, solitus sit lac dulcissimum apponere, & oleum suauitatis elargiri, quibus suauia dulciaque reddantur omnia quæ geruntur in Ordine, cruces, vigiliæ, ieiunia, chorus, panni, labores, cibi, lectiones, obseruantia. His certè auxiliis lactis & olei carent, qui Hymnodia suauitatem non degustantes, eam reputant grauem ac molestant.

Delicia spirituales cur non ab omnibus sentiantur.

Religiosis feruidis lac & oleum concedit Deus.
D. Berni. Serm. 1. Dedicat. Eccles.

Harum deliciarum vim experiri dignus fuit in vsu Psalmodiarum, dum caneret cum aliis Religiosis in choro, piissimus Thomas à Kempis Belga, ex Ordine Canonicorum Regularium. De hoc viro felici produnt Scriptores miros effectus huiusce suauitatis. Sicut enim summo studio curauit statis psallendi horis prompta hilaritate adesse vnà cum ceteris Monasterij Canonicis, primus ingrediens Oratorium, siue die siue nocte, postremus egrediens, cordis vocisque feruore psallens

Heribertus Rosvveyd. in Vita.

*Thoma à
Kempis sin-
gularis in
psallendo
suauitas.*

lens atque decantans, numquam sedilibus aut
brachio aut tergo innixus, sed semper erectus
ita tot tantisque à Deo, quem cantans laudabat,
cælestibus dignabatur suauitatibus, ut haud
mel, imò sàpè, aduerteretur extra se raptus
oculis vultuque in cælum defixus, corpore ita
reliquo sic à terræ solo seiunctus, ut vix summi-
pedum digitis niteretur. Delectationes eximias
nimium recreantes corpoream subleuabant mo-
lem versus cælum, vnde suauitates descende-
bant. Accidit aliquando ad hanc rem lepidus
euentus. Quidam, ut Thomam per iocum
laudaret, siue pungeret, ex vocum collusione
xit sociis: Nullus miretur in Thoma tantam
eis alacritatem animique pietatem, ac totius ho-
minis reuerentiam singularem tempore psalle-
di, quippe Dauidici Psalmi tot ipsi videntur sal-
mones (pisces sunt in Germania, Bohemia et
Belgio notissimi, æquè ac delicati.) Huic incu-
stanter respondit deuotus Thomas: *Ita est, gra-
tia Deo, Psalmi mihi salmões, verùm haud rari
mihi iidem vertuntur in nauisam & mortem, quos
tunc ignauos rei præsentis non intentos & voci par-
centes conspicio.* Veritati itaque per iocum prole-
tæ noluit venerabilis Thomas contradicere, sed
pigrorum ignauiam suauiter atque prudenter
data occasione insimulare aggressus est, ut illos
excitaret. qui pigri fortè aderant huic euentui.
Quas autem experiri dignus fuit deuotus ille
psallens suauitates, easdem possunt degustare om-
nes chori studiosi, qui ad cantum Hymnorum
dispositi accedunt.

Duo hîc scitu necessaria aduertere non omit-
tam. Primum est, quòd non licebit alicui psallenti
has

has delectationes vel concupiscere, vel à Deo ex-
 petere, tamquam finem Hymnodiaë principa-
 lem, nam ob huiusmodi finem quis non esset mi-
 nùs reus culpæ, quàm si solam delectationem si-
 bi proponeret, & statueret pro fine in rebus ad vi-
 tam naturalem necessariis; ut si quis ad cibum
 vel somnum accederet, ob solam corporis & gu-
 stus delectationem. Finis primarius & præcipuus
 esse debet Dei gloria & laus; si deinde conce-
 dantur delectationes, tunc animus eas cum gra-
 tiarum actione suscipiat, ut mediâ apta ad Hym-
 nodiam feruentius colendam & exercendam.
 Nam etiam sancti viri faciliùs unâ cum Hymno-
 grapho viam mandatorû diuinorum percurrunt,
 cum aliqua delectatione dilatantur in corde.

Aliud est, quòd si quis à Deo donetur hisce
 delectationibus, non ideò credere debet se esse
 Deo magis gratum, aut in illis situm esse fru-
 ctum Hymnodiaë præcipuum. Erraret iste, non
 sine periculo maioris iacturæ. Non enim ratio
 perfectionis dimetienda est ex qualitate maio-
 rum vel minorum delectationum, seu consola-
 tionum, quæ in rebus diuinis exercendis aliquan-
 do sentitur, sed perfectionis mensura ex maiori
 minorive caritatis gradu desumenda esse traditur
 in sacris Scripturis. Nec semper delectationes
 signum sunt animi grati Deo, cum non semel
 gratis à Deo concedi soleant etiam minùs perfe-
 ctis, præsertim in via Dei iunioribus & nouitiis,
 ut tamquam lacte nutriti faciliùs assuescant vir-
 tutum actionibus, quas amplexi sunt. Consola-
 tionem autem pertinent ad genus gratiarum, quæ
 à Theologis dicuntur gratis data, quæ aliquando
 dantur etiam reprobis.

Huc

*Delectatio-
nes non de-
bent expeti
tamquam
finis Psal-
modia.*

Psal. 118.

*Delicia spi-
rituales et-
iam ab im-
perfectiori-
bus haberi
possunt.*

*Perfectio-
nis ratio in
quibus re-
bus sita.*

Huc spectat nobilis doctrina, quam tradidit Richard. de S. Victore in Cantic. cap. 6.

Consolationes tenera conceduntur minus perfectis in via Dei.

Deuotio sensibilis potest decipere multos.

Apostoli diligebant Christum nimis tenerè.

Ioan. 16.

Richardus Victorinus, vir non solum in Theologia insignis, sed in vita spirituali apprimè versatus & vitæ contemplatiuæ studiosus, dicens, consolationes teneras interdum magis afficere minus diligentem minusque perfectum. Non enim quilibet tantum diligit, quantum ei conceditur et periri de istis consolationibus, licet sibi forte videatur multum diligere; sed mensura dilectionis attendenda est ex profectu virtutum. Imò uendum est ab occulto errore, quia affectus tener in Deum, qui etiam alio nomine dicitur deuotio tenera, seu sensibilis, aliquando, imò plurimum, carnalis est potius & fallax quam effectus spiritualis gratiæ, est potius sensualis quam rationis. Multi putabunt se diligere Deum & tamen diligent sensualem consolationem, cuius signum est, quòd tamdiu durat dilectio & feruor in opere incepto, quamdiu durat consolatio: si hæc tollatur, deficit quoque omnis feruor antea degustatus. Huius generis affectus fortassis erat ille discipulorum Domini erga humanitatem Christi, qui ideò maxima impleti sunt tristitia quando eiusdem humanitatis breuè discessum nuntium acceperunt, ut illis Dominus coactus sit rationibus ostendere utilitatem huius discessus: *Expedi vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Ex quibus verbis dignoscitur, discipulos magis dilexisse quod delectabatur, quam quod expediebat.

Nec semper hæ delectationes à Deo ortum habent, sed aliquando à diabolo, aliquando à natura suggeruntur; & ad has cognoscendas opus est lumine caelesti. In quo genere cognitionis

fic

sicut mirè excelluit venerabilis Zacaria, nostri Ordinis Institutor, ita præclara huius rei tradebat documenta in suis Spiritualibus Aphorismis; quorum præcipua sunt ista:

1. *Mentis dulcedo sensibilis aut à diabolo, aut à natura, aut à diuina oritur uisitatione.*

2. *Hac dulcedine, quasi esca opportuna, decipit diabolus gulosos spirituales, & incantatos.*

3. *Quæ à Deo est, conceditur tum ad stimulum operum virtutis, tum ad premium bonæ voluntatis.*

4. *Hæc aliquando subtrahitur, ut animus tum humilitati studeat, tum alijs compati discat; tum se ipsum discutiatur, an causam præbuerit subtractioni; tum ne in ea, tanquam in vero bono, sistat; tum denique, ut discernatur feruidus à pigro. Qui enim feruidus est, Deo seruire nouit, etiam tempore desolationis, ob virtutis amorem; piger autem, si tali priuatur dulcedine, illicò deficit in via Dei. Hæc docebat præclarus vir, omnis mysticæ Theologiæ insignis affector.*

Fundamentum perfectionis statuendum est in progressu dilectionis & caritatis. Quòd si vnà cum caritatis acquisitione iungantur consolationes, quales etiam à sanctis uiris sæpè degustari contingit, tunc felicitas summa est; si uero dene- gentur à Deo, tunc nullus debet affligi, sed humiliter perseuerare in suo studio, donec iterum redeat uisitatio diuina. Non itaq; in hisce sistere debet animus pfallentiù, cum non sint de se bonæ, sed earum bonitas tota sit in ordine ad maioris boni prosecutionem; vel bonæ sunt ex suppositione, quòd quis perfectioni substantiali studeat. Si quis ex lata culpa à Deo priuetur his uoluptatibus, licitum erit, imò decebit, postulare à Deo

Antonius Maria Zacaria in Aphor. verbo

Compun-

ctio. num.

1.4.8.16.

19. & seq.

Perfectio animi non in consolationibus, sed in dilectione Desita.

David ora-
tione postu-
labat resti-
tutionem
pristinæ cō-
solationis.

à Deo restitutionem pristinæ cōsolationis, ad imi-
tationem Hymnographi, qui cū iustè se priu-
tum cognouisset consuetis delectationibus, que-
bus exultabat in Deum, quia se conuertisset a
voluptates illicitas carnis, tradens se Bethsabee
reuersus tandem ad seipsum, & deplorans am-
issionem præteriti gaudij, dum veniam deprecare-
tur pro delicto, non cessabat postulare restitu-
tionem ad pristinum statum consolationis, dicens
maximo ardore affectus: *Redde mihi letitiam so-*
lutaris tui, & spiritu principali confirma me. Ven-
niam & nos à Deo postulemus de lata culpa,
Deumque precemur, vt restituat solitas vili-
tiones.

Pfal. 50.

CAPVT XI.

*Hymnodia studiosi uehemens habent
futura glorie signum.*

Terrestres
hominum
mortalium
Psalmodia
cum celesti-
Beatorum
mira con-
fensio.

EA est nostræ Hymnodia, quæ in terris à mor-
talibus expletur, cum superna Hymnodia
quæ ab Angelis & Beatis exercetur in cælis, con-
fensio, vel, vt à Græcis dicitur, sympathya, vt
terrestri ad cælestem facilis existat transitus & ac-
cessus; idq; licebit ex duobus capitibus cognoscere.
Primò ex conditione loci ad Hymnodia-
rum deputati in terris; qui si rectè attendatur
magnam habere cum Beatorum habitatione simi-
litudinem conspicietur, imò & communica-
tionem. Tali ordine videtur Deus statuisse no-
stræ salutis negotia, vt instar eorum, quæ in Salo-
monico Templo in terris instituto ex diuino pre-
scribuntur præscripto, euenire debeant, quæ in
Templo

Templo cælestis gloriæ erunt deinde exercenda, quasi ex typo ad prototypum directa. Hinc sæpè in sacris Scripturis, quando vsurpatur nomen Templi, multa dici de ipso contingit, quæ vtriq; loco propter similitudinem sunt communia. Vnicum satis sit recordari testimonium ex Dauide desumptum, quod tam de Templo Ierosolymitano quàm de Templo cælesti à sanctis Patribus intelligitur sine vlla violentia verborum. Ait Dauid Psalmo 28. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Quia autem gloria Deo dicitur tam in Templo terrestri quàm in cælesti, & in vtroque laudatur, benedicitur & celebratur, hic textus modò adducitur à sacris Doctoribus loquentibus de Beatorum domicilio, modò à loquentibus de Templo terreno; quia tam in vno quàm in alio peculiari residet modo infinitus Deus; in Templis nostris ad ostensionem misericordiæ, in cælesti autem Templo ad ostensionem Maiestatis. Hinc S. Gregorius, expendens verba aliam Hymnographi, *Dominus in templo sancto suo, Dominus in celo sedes eius*, liberè dicit: *Templum Dei superna patria est.* Attendentes igitur ad ea quæ in Salomonico Templo gerebantur, videmus, quòd penetrare volentes ad intimam Templi partem, quæ solis Sacerdotibus & Leuitis patebat, tenebantur primò incipere laudes in portis; deinde easdem prosequentes, ad atrium interius se transferre; tandem ad intima, vbi solis Sacerdotibus fas erat manere, penetrantes, ibi plenam & perfectam confessionem Deo offerebant. Huiusce praxis circa diuinas laudes tali ordine descriptæ luculentissimum testimonium videretur tradere Psalter, dum Hymnodia vsum suadens

con-

In Templis terra residet Deus ad ostensionem misericordiæ.

In Templo cali ad ostensionem Maiestatis.
Psal. 10.
S. Greg. in l. 1. Reg. c. 3

Psalmus Salomonis

Psal. 99. concludit : *Introite portas eius in confessione*, et primus ingressus ; *atria eius in Hymnis* : *confite mini illi*, ecce profectio ad secundum situm interioriorem. *Laudate nomen eius*, quoniam *suaus est Dominus*, in *eternum misericordia eius*, en consummata plenaque laudatio ultimo loco oblatum. Ab hac terrena praxi liceat nunc assurgere ad anagogiam non prorsus à vero sensu alienam, imò valdè opportunam. Quicumque in portis huius vitæ mortalis, in ingressu scilicet & egressu cuiuslibet diei, promptus est ad oblationem Hymnorum, sicut magna voluntate se transfert ad atrium id est ad Templum ; ita spem concipere debet certam penetrandi ad gloriam cælestem, quæ ultima pars sanctior omnis Templi. Hæc anagogia magis roboratur ex consideratione alterius non iniucundæ anagogiæ circa promissionem Deo factam Principi Sacerdotum, si fideliter promptè munia ad Dei cultum in Templo spectantia persolueret. Promittitur illi ex speciali priuilegio reueratio Orientis portæ, quæ mystice designat gloriæ futuræ felicitatem, ubi solus oriens, qui occasum nesciat, perpetuò durat. Ver-

Ezech. 46. *ba Dei per Ezechielem prolata sunt ista : Cum autem fecerit Princeps spontaneum holocaustum*

Locus pro- aut *pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta*
prius diu- que *respicit ad Orientem. Et verè munus quo*
narum lau- que *respicit ad Orientem. Et verè munus quo*
dum est Tē- incipitur in vno loco, in alio summa cum voluptate
plum & ca- expletur ; nam ista duo loca electa sunt à Deo
lum. uti propria ad laudes Dei exercendas maiori cultus
 decencia. De Templis in terra extractis

Psal. 64. *Hymnographus : Te decet Hymnus Deus in Sion*
Templum & tibi reddetur votum in Ierusalē. ubi mentio
Salomonis de Sion & Ierusalē, quia primum Templum ex-
structū in Sion. struendum

struendum erat in ea parte vrbis Ierusalem, quæ dicebatur Arx Sion. De cælorum autem decore pronuntiauit idem Dauid: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorū laudabunt te.* Psal. 83.

Cū igitur decora sit laudatio Dei tam in Templis terræ quàm in Templo cælesti, ideò laudes nostrorum Templorum dici iure poterunt initia laudum cælestium; & qui in Templo terreno fideliter & rectè Hymnos Deo cantauerit, spem habet transeundi ad cælestes laudes sine cessatione continuandas in cælis. Ad quam rem expendebat D. Augustinus illam temporis particulam, quam adhibet Dauid hortans ad Hymnodixæ vsum: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini.* Expendit illud *nunc*, & ait per illud significari, quòd laudantes hoc tempore Dominum transitori sint ad æternitatis continuationem in cælis; & *nunc* huius vitæ respondere vult *tunc* æternitatis, dicens: *Qui tunc benedicturi sunt sine defectu, hinc incipiunt benedicere Dominum.*

Hæc spes futuræ gloriæ magis item excrescere conspicitur ex altero capite, nempe ex qualitate Hymnorum qui hinc à ministris vsurpantur, & decantantur frequentiores. Clarum est, quòd omnes ferè Dauidici Hymni, vt haud semel visum est à nobis, copiosis scatent diuinis laudibus, Deum nimirum celebrantes, Deiq; attributa exaltantes. Clarum item est, quòd in futura cælesti patria Beati, vnà cum Angelicis spiritibus, perpetuò immorabuntur in diuinis concinendis laudibus & Hymnis, vt Ecclesiæ prædixit Isaïas illis verbis: *Gaudium & letitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Huic prædictioni concinunt ea, quæ post sæcula multa ab Apostolo

Laudes nostrorum Templorū initia sunt laudum cælestium.

D. Aug. in Psal. 133.

Hymni Beatorum cum Hymnis mortalium sunt eiusdem rationis.

Hymni à Beatis in celo semper vsurpandi.

Isaïæ 51.

H

Ioanne

Ioanne visa sunt in sua Apocalypsi; ibi namq; adiuntur Beati cantu Hymnorum honorem & gloriam deferre Deo & Agno. Quemadmodum itaque Psaltes, dum maiori arderet feruore celebrandi Deum, prædixit sibi & alijs iustis, quæ esset in patria beata perpetuò decantaturus Psalmos & Hymnos: *Sic Psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi.* Consideratione digna est illa particula *sic*, quam rectè expèdit Incognitus nunc cognitus, nam refertur ad priùs dicta de hereditate æterna iustis concessa per merita Christi; in animus eorum, qui eorundem Hymnorum abenter vsurpant cantum in hac vita, debet eripere spem aliquando perueniendi vnà cum ipso Hymnorum auctore ad prædictam æternam hereditatem, ibiq; prosequendi in sæculum sæculi eorundem cantum Hymnorum in hac vita frequentum.

Psal. 60.

Cithara vsus frequens erat Dauidi in psallendo.

Psal. 42.

Psal. 70.

Psal. 56. & 107.

Psal. 32.

Psal. 97.

Nec forsan incongruum erit reflectere animus ad qualitatem instrumenti, quod frequentius adhibebatur à Psalte, dum Hymnos Deo cantaret. Video sæpè sapiùs citharã exigere, imò & alijs suadere: *Cõfitebor tibi in cithara Deus Deus meus.* Aliquando citharam alloquebatur quasi intellectu prædicens, ut ab otio excitaretur ad vsum, illam appellans nominibus amoris: *Exurge gloria mea, exurges psalterium & cithara.* suadens alijs etiam citharæ vsum, tamquam opportunum ad hoc munus diuinarum laudum: *Confitemini Domino in cithara eadem aliàs vrigens hortationem: Psallite Domino in cithara, in cithara & voce Psalmi.* Aliquid potiùs citharæ vsus & prædicatio frequentior, quàm aliorum instrumentorum, quæ etiam aliquando

aliquando in eodem munere adhibebantur? For-
 fan ad declarandum, quòd ijdem Hymni erunt
 in patria beata decantandi, qui in hac vita mor-
 tali erunt frequentiores, sicut citharæ frequen-
 tior erat vsus. Ratio huius argumenti inde nasci-
 tur, quia in Apocalypsi, quando S. Ioannes de-
 scribit felicitatem & occupationes Beatorum in Beatis in
 patria ci-
 thara vsus
 est proprius.
 cælis, sicut illis continuos Hymnorum cantus
 adscribit, vt mox dicebamus; ita non alia instru-
 menta recenset à se visa in manibus Beatorum,
 nisi citharas suauissimè pulsatas. Capite 5. vidit Apoc. 5.
 quatuor animalia, & viginti quatuor seniores co-
 ram Agno prostratos cum citharis in manu. Item
 capite 14. audiens symphoniam quadraginta qua-
 tuor millium Electorum, ait fuisse Ibid. 14.
*sicut citharædo-
 rum citharizantium in citharis suis.* Iterùm capi-
 te 15. vidit triumphantes de magna bestia, Ibid. 15.
habentes citharas Dei, & cantantes Hymnos. Ex quibus
 deducere libet, quòd sicut ex hac nostra terra
 conspicimus transferri Hymnos & citharas ad
 terram Beatorum; ita vrget argumentum ad fa-
 uorem cantantium, quòd sint ipsi transferendi
 ad eandem terram. Hinc Hymnographus signa Signa ho-
 minis iusti
 sunt laudes
 frequentes.
 hominis iusti, seu beati, enumerans, illud in pri-
 mis recensuit, quòd esset frequentaturus die no-
 ctæque vsum Hymnorum: *Et in lege eius me di-
 scabitur die ac nocte.* quod idem est ac si diceret,
 Beatum fore qui frequēs est in Hymnorum exer-
 citio; nam nomine legis allatus à Christo Domi-
 no fuit liber Psalmorum in testimonium: *Vt ad-
 impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est; Quia
 odio habuerunt me gratis.* Dicitur lex liber Psal-
 morum, quia in hoc libro strictim tota lex con-
 tinetur. Beatus asseritur à Psalte animus ille, qui
 frequens

frequens est ad huius libri exercitationem affi-
duam, vti legi posse ostendit Suidas; seu cantum,
vt vertunt alij, quia in Scripturis *meditari* sæpe
idem est ac *canere*, vti Isaiaë 38. videmus coniun-
gi cantum cum meditatione: *Sicut pullus hiru-*
dinis sic clamabo, meditabor vt columba. sicut et-
iam in libro Prouerbiorum dicitur: *Verita-*
tem meditabitur guttur meum. Beatus, inquam
Hymnodia studiosus asseritur, quia ad beatitu-
dinem cælestis vitæ est transferendus. Et ob hanc
fortassis rationem, non sine Dei altissimo consi-
lio, hic Psalmus beati viri signa describens col-
locatus est primus in ordine omnium Hymno-
rum Dauidicorum, vt excitetur animus ad hoc
præclarum studium, quod potest reddere studio-
sum planè beatum.

Isaiaë 38.

Prou. 8.

Laudū di-
uinarū fre-
quentia est
signū præ-
destinatio-
nis.

Blasphemia
vsus est si-
gnum re-
probationis

D. Thom.
2. 2. q. 13.
art. 4.

Psalmodia
studiosiores
altiorē glo-
ria gradum
obtinebunt.

Ego quidem nullum signum externum non
magis efficax, ad dignoscendum quis sperare de-
beat beatitudinem cælestem, quàm frequentiam
Psalmodiæ. Sicuti ex procliuitate ad blasphemias
euomendas, argumentum vehemens ducunt
Sapientes æternæ perditionis & reprobationis,
cùm stigmate reprobatorum sint notati blasphemiam
nam blasphemia est cibus proprius damnatorum
ob peruersam ipsorum, & auersam à Deo &
Sanctis voluntatem; ita ex promptitudine & in-
clinatione ad diuinas laudes, licet concludere
magnum æternæ prædestinationis argumentum,
quia laudes diuinæ erunt perpetuus cibus Beato-
rum in cælo; sicut & ex loquela cuiusque homi-
nis, quamuis in aliena terra viuentis, facile est cog-
noscere illius nationem, & patriam.

Ausim dicere, quòd huius Hymnodia studio-
siores maiori & sublimiori aliquo priuilegio in
ipsa

ipsa beata gloria sint à Deo remunerandi : nec pu-
 tare id hyperbolicum , aut incongruum , cum
 restatum omnibus sit, diuinarum laudum studio-
 sos præcipuis alijs fauoribus & gratijs à Deo in
 hac vita decorari. cuius rei veritatem non in a-
 lio , quàm in ipso Hymnographo, conspiciere pos-
 sumus. Hic, sicut in Hymnorum decantatione *Davidis fe-*
 fuit studiosissimus , ita insignes à Deo retulit fe- *licitates &*
 licitates , nimirum temporales , gratuita , spiri- *privilegia*
 tuales , & æternas. Inter temporales connume- *singularia,*
 randæ sunt victoriæ & triumphus de hostibus plu- *ob studium*
 ries reuerti , diuitiæ item immensæ auri & the- *Hymnodia.*
 saurorum , proles numerosa, Regnumque floren-
 tissimum ac gloriosissimum. Inter gratuita adest
 spiritus prophetiæ insignior præ ceteris Prophe-
 tis , quo præcipua nostræ religionis mysteria præ-
 dixit , & cecinit , potius quasi Historicus , seu Eu-
 angelista , quàm Propheta. Inter spirituales re-
 censendus est meritorum sublimium cumulus ,
 quibus meruit esse , quoad carnem , pater Christi
 Domini ; quatenus iste ex illius regio sanguine
 fuit progenitus. Inter æternas tandem collocan- *Davidē re-*
 da est anticipata resurrectio ante communē om- *surrexisse*
 nium resurrectionem. Censent insignes Ecclesiæ *cum Chri-*
 Doctores, vnà cum Christo ipso, cuius gloriosam *sto censent*
 Resurrectionem iam antè verbis apertis , & à san- *multi.*
 cto Petro in testimonium adductis, præuiderat, & Actor. 2.
 prædixerat Psalmo 15. Dauidem surrexisse , &
 præuenisse aliorum resurrectionem. Quod pri- *D. August.*
 uilegium si verum est , profectò non modicum *Epist. 99.*
 fuit. De cuius veritate non est hîc à me dispu- *Sophrō. de*
 tandum, cum locus id non postulet , sed data hac *Assumpt.*
 hypothesi asserendum est, noluisse Deum , quòd *Virginis.*
 instrumentum ad eò nobile suarum laudum, quale *Val. Episc.*
 fuit Iob 19. *in Psal. 5.*
Pineda in

fuit corpus Davidis, tam diu in terris expectare vitam perfectam æternam, sed quàm primùm transferri voluit ad easdem laudes continuandas.

Potero saltem afferere liberius, quòd in partu beata isti Hymnodia studiosi audientur adhibere Hymnos in terris decantatos, iuxta doctrinam

D. Thom.
loco cit.

Theologorum dicentium cum S. Thoma, in caelo post resurrectionem canendas esse à Beatis De laudes voce corporali, sicut etiam docet Hymno-

Psal. 149.

graphus dicens: *Exultabunt Sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis, exaltationes Dei in guttore eorum.* Nec dissentiunt visiones aliquando factæ mortalibus à vita functis Beatis. Vnum

Guilielm.
Baldekan.
l. 2. Hist.
Puerorum
institutio
in Mona-
sterijs.

tum afferam exemplum à Guilielmo Baldekan. descriptum in Historia Thebæorum. Quædam

nobilis matrona Agauni, vbi celebre monasterium & Templum extat S. Mauritio insigni Thebæorum Duci extractum, vnicum filium Monasterio

tradiderat educandum, & instituendum bonis moribus & doctrina. Puerulus ibi sicut ætate, in

in omni honesta disciplina progressus in dies faciebat magnos; in dè & monasticum edoctus cantum, vnà cum illis Religiosis in choro Hymnos

& preces canebat suauissimè. Ecce in ipso pueritæ flore febre correptus obiit. Mater afflictæ

sciebat quasi à Templo, vbi defunctus filius iacebat sepultus, auelli; saltem quotidie ad idem Templum veniens, super sepulchrum amarissimè

plurimum batur, tempore diuinorum præsertim officiorum vberiores emittebat lacrymas, quia inter cantantes Monachos in choro non amplius suauissimam

filij vocem sibi audire licebat. Cùm diu perseverasset in hac fletus frequentatione, victa aliquando magnitudine afflictionis, somno correptus obdormit.

obdormiebat. In eo somno ecce sibi adstare videt S. Mauritium, illius Templi patronum, verba hæc proferentem: Cur affligeris mulier? cur tandem finem lacrymis non imponis? cui illa: A fletu numquam potero cessare, donec vita supererit, quia vnicum filium meum amisi. Addit S. Mauritius: Noli flere in posterum, quia filius tuus licet mortuus mundo sit, viuit tamen in cælesti patria, & hoc sit tibi signum: Crastina die studeas conuenire ad Preces matutinas, nam vocem filij inter Monachos cantantes obaudies; eodemq; poteris perfrui commodo, quoties ad diuina Officia in hac Ecclesia meo nomini dicata conuenire tibi licebit. His dictis euauit visio, & excitata mulier domum reuertitur, expectans magno animi desiderio matutini temporis horam, sperans effectum hesternæ visionis. Ad primum campanæ ictum pro Officio matutino mulier veniens ad Ecclesiam, expectat initium Officij, & ad prima verba Antiphonæ audiens vocem filij suauissimam, reddita est certa de salute & beatitudine prolis, & ad frequentiores diuinorum Officiorum assistentiam facta est studiosa, vt sapius filij carissimi voce delectaretur. O Felices Hymnodia studiosos, quibus parata est beatitudo æterna, cuius pignus est cantus huius vitæ!

C A P. XII.

*Dei cognitionem amoremque gignit
augétve Hymnodia.*

EX Hymnorum frequenti vsu plurima bona nobis spiritalia & temporalia prouenire sic-

H 4

ut

ut certum est, ita non erit inter postrema collo-

D. Thom. candum illud quod ab Angelico Aquinate, dicitur
2. 2. q. 91. de materia diuinarum laudum copiosè differtur
art. 1.

Amor Dei offertur, nimirum amor tum Dei tum mandatorum
ex Hymno- rum ipsius; quia ex frequentatione laudum inar-
rum usu descit animus, & excrefcit affectus in Deum lau-
cōparatur. datum, iuxta promissionem ab ipso Deo factam

Pfal. 49. omnibus suarum laudum studiosis per Hymno-
graphum: *Sacrificium laudis honorificabit me; Quasi*
illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. quasi dicitur
rit: Quicumq; laudibus suis me honorificare stu-
duerit, maiorem inde acquireret erga me dilectio-
nem, quia ego me illi manifestabo, & communi-
cabo. Ex quo affectu addit D. Thomas orationem
longationem ab exterioribus obiectis, quæ Deum
amorem impedire conantur; quia eò magis sepe-
ratur animus à creaturis, quò magis afficitur à
Creatorem, iuxta aliam Dei promissionem per

Isaia 48. Prophetā Isaiam suis laudatoribus factam: *Lau-*
Qui Deum de mea infrenabo te, ne intereas. Et quod melius
diligunt, e- est, amor iste ex cantu Hymnorum haustus ac-
ius laudes desiderium, & voluntatem magis magisq; lau-
frequentat. dandi Dilectum suum. Tali sunt ordine compara-
rata huiusmodi studia, vt cantus Hymnorum exci-
tet affectum, affectus excitatus prouocet can-
tum, & alter alterum mutuò gignat, & promoueat.

Hos affectus & effectus licet cuilibet obseruare,
etiam in alijs occupationibus ad vitæ civilis
informationem directis. Solebant rerum publicarum
Moderatores apud Græciam, vt populos ad proprias
cuiusq; Reipublicæ leges maiori affectu obseruandas
facilè & suauiter instituerent, graui Decreto præcipere,
vt à iunioribus sæpè decantarentur.

Leges ciuiles
discebantur
cantu.

cantarentur promulgatæ leges, putantes, quòd
 vsu talis melodiæ tum affectus tum memoria
 magis firmaretur. Insigne Cretenſium Decretum
 ſuper hac re deſcribit Ælianus: *Filios, ait, ex li-*
beris parentibus ortos inſſos eſſe addiſcere leges cum
melodia & concentu. eò quòd pueri faciliùs me-
 moriâ complecterentur, propter muſicæ volup-
 tatem, ea quæ diſcebant, & faciliùs etiam abſtine-
 rent ab illarum tranſgreſſione. Poſt leges Prin-
 cipum, tenebantur iidem pueri eodem ritu can-
 tus diſcere Hymnos tum in honorem Deorum
 factos, tum virorum fortium egregia facta nar-
 rantes. De hoc canendi more teſtimonium reddit
 Philoſophus in Problematibus ſuis, & Plato in
 libro Legum. Quibus concinit D. Ambroſius in
 ea verba Dauidis, *Cantabiles mihi erant iuſtifi-*
cationes tue in loco peregrinationis meæ, dicens:
Quæ bene tenemus, cantare conſueuimus; & quæ
melius cantantur, melius noſtris adhaerent ſenſibus.
 Ex quibus verbis duo elicio ad rem noſtram
 apta, nimirum, quòd cantus adiuuat animi af-
 fectum ſeu ſenſum, & affectus incitat ad can-
 tum. Alterum eſt, quòd qui meliùs cantant,
 oſtendunt ſe eſſe in Deum meliùs affectos; qui
 autem magis diligunt, ſapiùs cantum frequen-
 tant, quaſi ruminantia animalia, quæ cibum ap-
 prehenſum iterùm deguſtant, pluries ad dentes
 reuocando eundem cibum iam deglutitum. Pra-
 xim horum affectuum attendere poſſumus in
 Hymnographo, qui ſicuti artem callebat muſi-
 cam, eamque uſurpans frequentabat ad Deum
 ſuum celebrandum; ita ex cantus frequentia ma-
 iores in Dei amorem progreſſus faciebat, & ex
 amoris incremento excitabatur ad cantus eiuf-
 dem

*Cantus me-
 moriam iu-
 uat.*

Aelianus
 lib. 2. Var.
 Hiſtor.
 cap. 29.

Ariſtot. in
 Problem.
 Sect. 19.
 Probl. 28.
 Plato lib. 2.
 de Legib.
 apud Eu-
 ſeb. lib. 12.
 Præp. c. 14.
 D. Ambr. in
 Pſal. 118.

*Quæ dili-
 guntur fre-
 quentiora
 ſunt in ore.*

dem iterationem, imò perpetuam continuatio-
nem: nam Psalmo 103. in medio cantu, quia di-
lectionis ardor excreuerat, testatur se nunquam
à cantu isto cessaturum, donec vita esset superflua
& ex cantu sibi promittit varios effectus exulta-
tionis & delectationis in Deum dilectum: *Canta-
bo Domino in vita mea, psallam Deo meo quia
diu sum. ecce promissio perpetui cantus, licet ca-
reà plurimùm cecinisset. Tandem sibi promittit
alios effectus in corde suo: Incundum sit ei delecta-
tium meum, ego verò delectabor in Domino.*

**Cognitio Dei confert
benignitudi-
nem mortali-
bus.**
Ioan. 17.

Ex hac dilectionis acquisitione ortum habet
Dei maior cognitio, in qua mortalium beati-
tudo consistit, iuxta illud Domini nostri Salu-
tis pronuntiatum: *Hec est vita aeterna, ut cognos-
cant te Deum verum, & quem misisti Iesum Chri-
stum.* cui pronuntiato concinuerat Propheta Ie-
remias, docens omnem mortalium gloriam

Ierem. 9.
tam esse in Dei cognitione: *Non gloriatur
piens in sapientia sua, non gloriatur fortis in for-
titudine sua, non gloriatur dives in diuitiis suis,
in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire & nosse me.*

**Dei cog-
nitio præstat
omnibus
mundi bo-
nis, diuitiis,
sapientia
& digni-
tatibus.**

quòd in nullo ex illis tribus bonis quæ mundi
solet admirari, imò adorare, quasi apta obiecta
veræ gloriationi, sapientia, potentia & diuitiis
Dei tententia, non consistit vera gloria. Si quis
maiori esset præditus sapientia quàm Solon, si
Numa, siue etiam Salomon; si quis maiori po-
teret fortitudine & viribus quàm Iulius Cæsar
siue Alexander, siue Hercules; si quis amplius
bus potiretur diuitiis quàm Cræsus, aut Cræsus
non ideò poterit verè gloriari: nam ista apud
Deum nihili fiunt, sed magis æstimatur vnica
diuinæ cognitionis gradus quàm thesaurorum
omnium

omnium coaceruatio, quàm potentiaè amplitudo, quàm scientiarum omnium possessio. *In hoc gloriatur, qui gloriatur, nosse me.* Ex Hymnodiaè igitur vsu tantum nobis bonum tantamque gloriam proficisci testatur non semel Dauid, qui id in se expertus dixit ad Deum suum: *In quacumque die inuocauero te, ecce cognoui, quoniam Deus meus es.* quasi dixerit: Ego quidem licet ex oratione & Psalmis, dum inuoco te, multa semper referam beneficia insignia, quod tamen mihi frequentius experior, quòdve carius reputo, est certissima comparatio noui luminis ad te Deum meum cognoscendum; quòd scilicet verus Deus meus sis, omne bonum meum, Deus, inquam, meus, & omnia, vti postea cognouit & confessus est Seraphicus Franciscus. In hac cognitione iucundabatur cor Dauid, deliciabatur Franciscus.

Si ad colloquendum cum Deo in Hymnis quales decet accederemus, certi sumus, quòd indetantatas ardoris flammis splendorisque radios reportatemus, vt quasi tot soles populis, qui nobiscum agunt, videremur. Nouimus aliquando seruum Dei Moysen, qui à Deo constitutus fuit primum Sacerdotum exemplar, postquam è confortio Dei habito per orationem in monte rediit ad populum, emisisse talem radiorum coruscationem à facie, vt Israëlitaè intendere non possent illam. Eandem felicitatem lucis & ardoris visam esse in Domino nostro Seruatore narrant Evangelistæ, dum ab oratione descenderet ad discipulos de monte Thabor, tunc enim resplenduisse dicitur facies eius sicut sol. Quia in Ecclesia nostra viget Hymnodia, quæ ardoris amorem & cognitionis splendorem confert dignè psallentibus,

Psal. 55.

Ex colloquio Dei animus reportat lumen & ardorem.

Exod. 34.

Matth. 17.

Luc 9.

Apoc. 12.
Ecclesia est
mulier illa
sole vesti-
ta visa à
Ioanne.

Hora Ca-
nonica se-
ptem sunt
mystici Pla-
neta.

Psalmi sunt
thesaurorū
fodina.

Psal. 118.

Hymnodia
usus est
torcular
diuini a-
moris.

bus, forsan visa est à Ioanne in Apocalypsi
Ecclesia amicta sole, coronata stellis, & calce-
luna. His duabus perfectionibus donatur à D
laudibus celebrato Ecclesia sponsa. Ad quod
gnificandum, non modicum confert ipse ordo
numerus horarum Hymnodiaē adscriptus. Ne
septem horæ diuino datæ Officio septem comp
rari possunt cæli Planetis, per quos vniuersus
ferior orbis regitur atque disponitur in suis
fectibus, maximè ad vitam vegetantem & a
malem pertinentibus. Vnde possumus asserere
quòd, siue in Ecclesiam siue in ministros, de-
uatur ab his septem mysticis Planetis Hymnodia
Canonicarum lumen & calor, lumen cogniti-
nis & calor amoris, in quibus duobus effectibus
vita spiritualis consistit & durat.

Qui cupit in Dei cognitione & amore profici
re suauiter, dignè, vel saltem non indignè, in-
quentet sacram Hymnodiam. Ex hac, quali
fodina copiosa, eruet thesaurum non aurum
gemmarum materialium, sed affectuum & cog-
nitionum spiritualium, quæ super omne aurum
& super omnem gemmam æstimantur à Dauid
Dilexi mandata tua, super aurum & topazium.
Qui aliquando à Deo donabitur opportunitate
auxilijs, inueniet huiusmodi thesauros cog-
tionis & ardoris, omnia enim verba Hymnodia
valida & efficacia sunt ad Dei cognitionem &
lectationem excitandam. Hæc Hymnodia est
lud celebre torcular in vinea patrisfamilias
ætum ac positum, quo suauissimum diuini a-
moris mustum exprimitur in corde psallentium.
que psallentes ad vberiore huius pretiosissimi
musti expressionem frequentius excitentur & ex-
liciantur.

liciantur, voluit Deus quosdam Psalmos, insigniores præsertim aptioresque ad huiusmodi amoris actus eliciendos, inscriptum ferre pro titulo proprio nomen *torcularis*, vt conspici licet ante Psalmum 8. qui, vt statim dicemus, flammam emittit amoris; item ante 80. qui diuini amoris feruet iubilo; & ante 83. qui eiusdem amoris renouat affectus, suspiria, lacrymas. inscribuntur enim isti Psalmi hoc titulo, *Pro torcularibus*. Nos certè stulti declarabimur coram Deo, cum temporis horas, dies noctesque infumamus in voluminibus versandis, vt diuinarum perfectionum cognitionem assequamur, nec amplectamur, quæ habemus ad manum, media aptiora & faciliora ad hunc finem obtinendum. Experientia docet quotidiana, quòd nec à disceptationibus, nec à lucubrationibus, nec à quibuscumque scholasticis exercitationibus obtineatur ea cognitio (sermo est de effectibus, qui vt plurimum eueniunt in hac re) ad diuinos commouendos ardores opportuna, quam animi virtutis sectatores concupiscunt, & quærunt. Ex scholis, vt plurimum, tum præceptores tum discipuli hauriunt Dei ac diuinorum cognitiones quasdam frigidas, languidas, ieiunas, sistentes in solo intellectu, qui huiusmodi delectatur curiosis illustrationibus, quæ voluntatem non afficiunt: at in cantu Dauidicorum Hymnorum, quasi in ardentissima fornace, inuenit animus pius tot flammam, quot verba ignem amoris spirantia, voluntatem & cor canentium inflammantia. Si quorundam psallentium animus nullum nihilominus sentiat ardorem ex cantu Hymnorum, id non Psalmorum modicæ virtuti, sed sui ipsius ineptæ

ineptæ

ineptæ dispositioni est tribuendum. Sicut neque ligna, quamuis combustioni sint destinata à natura, statim ignis applicati vim experiuntur et cacem, nisi priùs sint opportunis præparata opulitibus. Multi psallentes de se ipsis poterunt

D. Bernardi humilis sensus.

D. Bernardi lib. de Confider. c. 35.

berè vsurpare verba illa quæ diuus Bernardus sensu humilitatis de se ipso pronuntiabat: *Cantavit me Deus in loco voluptatis, in domo ubertatis, in paradiso deliciarum; ego verò miser & miserabilis inter mensas epulantium fame pereo, in tanta fontem sitio, ante ignem algeo, & ad neutrum manus extendere volo, tam piger sum & desidiosus.* Verè quot ex religiosioribus Ecclesiasticis sua, pigritia & ignavia sua priuantur variis libris & librisque cognitionibus & illustrationibus, quibus item ignitisque animi affectibus, quos facile possent obtinere, si Hymnodiam ritè frequentarent. Sæpè dum simpliciores ardent, sapientiores dormiunt. Utinam ad nos ipsos aliquando redeamus cognoscentes nostras miserias, & tandem ad fontes cognitionis & amoris diuini fontes deum statuamus.

Fontes diuini amoris viuos, veros iugescerentem appello Psalmos Dauidicos; quia alibi obiciuntur menti omnia illa obiecta quæ ad motum excitandum in voluntate sunt opportuna. Tria docebat diuus Ioannes Chrysostomus amoris principia (quæ in re minimè discrepant à Philosphis, sed eadem continent) pulchritudinem, beneficia & amorem: hæc, inquam, sicuti in Deo vnita esse quisque fatebitur, à Dauidicis verbis tanta obiciuntur claritate p-

D. Chrysostom. in Psal. 41. Amoris tria principia.

lentibus piis, ut animus nequeat ab amoris vi subtrahere seipsum. Et quidem quod attinet ad pulchritudinem, nullus aut Pictor egregius suis coloribus, aut insignis Orator sua eloquentia describere unquam valebit pulcherrimas diuinæ naturæ dotes ea felicitate ac facilitate, qua in suis Hymnis describit & exhibet Hymnographus. Qui probe nouerunt corporum pulchritudinem non in vna tantum simplici qualitate, sed in ordinata quadam & concinnè disposita plurimum colorum, tum partium, tum lineamentorum aggregatione esse sitam, intelligent quoque tum in quibus rebus constituenda sit pulchritudo in re spiritali, præsertim in diuina natura, *Pulchritudo diuina natura qualis.* nimirum in plena omnium perfectionum, quas *Potentia Dei quarta.* Attributa vocant Theologi, aggregatione, absque *Pfal. 148.* vlla imperfectionis leuissima macula, siue umbra; tum etiam vim descriptionum quas David oculis obiicit psallentium: numquam enim de Deo profert verbum, quin aliquam eius celebret perfectionem ab omni imperfectionis suspicione liberam atque immunem. Passim, ac ferè in singulis Hymnis, modò potentiam extollit nullo *Potentia Dei quarta.* neque loco, neque tempore neque re circumscriptam, nulli obnoxiam labori: nam *ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt, omnia faciens quæcumque voluit in celo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Modò sapientiam re- *Pfal. 134.* colit nulli expositam ignorantia, siue obliuio- *Sapientia Dei qualis.* ni; omnia perlustrantem, etiam corda & renes; omnia cognoscentem, nouissima & antiqua; nullis obrutam tenebris, sed semper in luce, noctesque repurantem sicut clarissimam diem; hominum consilia & cogitationes de longè, & antequam

*Imperium
Dei quod.*

quam fiant, intelligentem; cuius nondum fuerit nec sit futurus certus numerus, nec determinatus finis. Aliquando imperium ac maiestatem celebrat, cuius magnitudo, latitudo, felicitas absque limite cælum, terras, abyssos & tempora complectatur; cuius gloriam enarrant cæli & firmamentum; cuius sublimitatem loquantur omnia opera omnesque Sancti; cuius dominatio omnia sæcula, & ad omnem generationem sit

Dei æternitas qua.

tissimè diffusa. Aliquando æternitatem proponit, cuius nullum unquam fuerit initium, & nihil minus ab ipsa originem sumpserint cetera omnia, siue in cælis, siue in terris, siue sub terra existant; nec unquam sit visura finem, sed eadem permanens semper sine vilo annorum defectu, & sine vlla temporis in seipsa successione. Modum sanctitatem purissimam, pietatem suauissimam, misericordiam absolutissimam, veritatem firmissimam, fidelitatem inuariabilem, prouidentiam copiosissimam, bonitatem dulcissimam, nominatim tandem, oculos, verba, manus, gressus, cogitationes, affectus, consilia, mandata, opera perfectissima proponit, & dignis exaltat præconiis, ut inde concipi debeat Deus iste pulcherrimus & maximo dignus amore; cui meritò, ob tantam præcipuam causam tam excellentis pulchritudinis, omnes animi generosi seipsum perfecte deuocent, eiusque suauissimo amori regendos tradant, dicentes: *Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.* Animus namque pius has expendens perfectiones, vim ferre nouit inferri, ut se tantæ pulchritudini totum resignet. quod corporum pulchritudini nonnulli adscribere dicentes, eam esse humani cordis ty-

Pfal. 44.

Pulchritudinis vis magna.

rannidem

rannidem suauem; quia ferè cogat & rapiat ad se intuentium oculos & affectum, id meliùs atque perfectiùs experiuntur pij psallentes in vsu Hymnodia: nec enim cohibere seipsos valent à suspiriis aliisq; vehementioribus affectibus erga hunc cognitum pulcherrimum Deum, quem Hymnorum deuoto cantu concelebrant.

Beneficiorum item ad conciliandum amorem vim nullus poterit negare. Solent enim, vt omnibus notum est, beneficia, quasi validissimæ catenæ, animum, etiam nolentem, ad amorem pertrahere benefactoris. Quid quæso obtinebunt in animo iam volente? quid in amante? nouerunt omnes, quòd Dauid sibimet præscribebat grauissimo decreto iugem diuinorum beneficiorum recordationem, vt validiùs excitaret animum ad varios amoris actus erga suum benefactorem, dicens: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* enumerans deinde celebriora sibi ab eo collata beneficia: *Qui propitius* Ibidem.
tur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in misericordia & miserationibus; qui replet in bonis desiderium tuum. Quod magis ostendit hanc veritatem illud est, nempe præcipuos Psalmos, ferè dixerim omnes, continere pro acceptis beneficiis varias benedictiones & laudes Deo benefactori oblatas, quemadmodum alio diximus loco. Recoluntur enim frequentissimè beneficia siue gratiæ, siue naturæ, siue omnibus communia, siue populo Hebræo particularia, siue Synagogæ siue Ecclesiæ præstita, siue Dauidi propria, siue cuilibet iusto opportuna, siue antiqua siue recentia. Hæc, inquam, beneficia li-

Beneficiorum valida vis ad amorem.

bens ac frequens recolit S. David, tum ut bene-
uolo suo Benefactori rependeret grates, tum
seipsum magis magisque excitaret ad eum dili-
gendum & colendum. ad quam rem ipse ab-

Pfal. 12.

quando cecinit: *Exultabit cor meum in salu-
tuo; cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & p[ro]p[ter]*

Pfal. 58.

*lam nomini Domini altissimi. aliàs autem: Ego au-
tem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo ma-*

*misericordiam tuam. Quia factus es susceptor me-
& refugium meum in die tribulationis meae. Ad-*

*meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, De-
meus misericordia mea. Quare psallentium me-*

cum passim habeat obuiam beneficiorum di-
norum recordationem, verbis opportunis a-

morem eliciendum propositam, quomodo in-
excitabitur ad actus dilectionis erga talem Ben-

factorem? neque lapides ipsi, quamuis durissi-
mi, possunt latentem continere ignem, si fer-

alicuius validis pulsantur ictibus. Cogitur cer-
animus quilibet, etiam frigidus (si attentè can-

quæ lingua profert) tantorum recordatione be-
nificiorum quasi validissimis ictibus pulsatus

emittere actus dilectionis ignitos, saltem simi-
les, si quandoque etiam non ardentiores iis quæ

Psalms offert decantatus.

Amor tandem amorem & exigit, & elicit. Sicut
qui diligunt, diligere utique merentur, & debent;

ita qui cognoscit se diligere, cogitur diligenter de-
ligere. Hinc illa Platoniorum regula pro seculo

amoris: *Si vis amari, ama.* illa item D. Augusti-
ni celebris sententia: *Magnes amoris, amor.* Cum

itaque certi sumus de diuina erga nos dilectione,
quæ semper nos & præuenit & excitat, neque

enim, iuxta doctrinam dilecti Apostoli Ioannis

*Amor pa-
rit amo-
rem.*

1. Ioan. 4.

nos diligere Deum, nisi prior ipse diligeret nos; certissimè quoque nouimus, hunc diuinum erga nos amorem sæpè sapiùs nobis à Dauidè personam modò propriam, modò Ecclesiæ, aliquando iustorum agente, in suis Hymnis commendari: nam omnes Psalmi describunt Deum tali ac tanto erga nos amore ardentem, ut cogitationes, consilia, affectus, cor, voluntatem, potentiam in eorundem felicitatem defixerit. Hinc voces illæ tenerrimi affectus Deum compellantes benignum, suauem, dulcem, re-ctum, misericordem, passim vsurpatæ. Hinc aliæ non dissimiles voces, forsan etiam suauiores, pronominis *mei*, additi nominibus Dei, *Deus meus, refugium meum, virtus mea, fortitudo mea, pater meus, Rex meus, saluator meus, liberator meus, redemptor meus, susceptor meus, adiutor meus, gloria mea, spes mea, misericordia mea, pars mea, Deus cordis mei*. Hinc illæ lacrymæ ac suspiria anhelantis ad vnionem huius diuini amantis:

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitinit anima mea ad Deum fortem vitium, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? Hinc voces illæ admirantis tantam Dei suauitatem erga nostram exaltationem: Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti enim paulominus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Psal. 41.

Psal. 8.

ris diuini voces, imò flammam constitutus, poterit earum vim minimè experiri? quomodo non eliciet eosdem amoris actus à Dauide exhibitos, sicut profert eadem verba ab ipso prolata? quomodo non excitabitur ignis psallentium ab igne Psalmorum? Nouerunt practicè hos effectus illi psallentes, qui alacres chorum frequentant inuiti ab eodem abstrahuntur. Nouerunt, qui huiusmodi sanctorum affectuum degustata dulcedine, lambebant labia, quasi colligentes diuini amoris reliquias ex præcedente cantu ori præpressas, vti de Seraphico Francisco testatum prædiderunt Scriptores. Nouerunt, qui graui delectatione sanciuere, Psalmodiam esse opus Dei cuiuslibet quibuscumque operibus à Religioso viro prærendum, quemadmodum iam diximus fuisse sancto Patriarcha Benedicto sancitum. Hæc percipiunt, qui communem in choro Psalmodiam refugiunt, nimis addicti aliis studiis, qui iactant præferenda huic sanctissimo operi Dei, qui item verbo scriptisq; docere haud erubescunt, in vsu Psalmodiæ veros actus dilectionis non exerceri, putantes sibi tantum ac suis occupationibus apertos effluere diuini amoris fontem, psallentibus autem in choro esse clausos et siccos. Pugnans ista doctrinæ cum sensu omnium insigniorum Doctorum, qui de re spiritali scribentes, vt animos diuini amoris cupidiores forment circa modum faciliorem peruenire ad aliquem huius sanctæ dilectionis gradum, et progrediendi in eiusdem acquisitione, vel illius magis magisque augendi in infinitum, suadet vsum selectiorum Dauidis Psalmorum, quamuis priuatum; cum tamen, vti sumus in ter-

Libro dicturi, publicus cantus rectè expletus Libro III.
 pluribus præster perfectionibus priuata recita- cap. XVII.
 tioni. Pugnans huiusmodi doctrinæ cum ipsa ve-
 ritate, quæ luce meridiana clarior innotescit ex
 sola cognitione Dauidicorum verborum, quæ-
 que non nisi à maximè cæcutientibus, vel aliqua
 passionis caligine oppressis potest negari. Qui
 nulla premuntur passione, rectè ac sincerè ratio-
 cinantes dicunt, Hymnos Dauidicos esse Canti-
 ca verè amantium Deum, directa ad Dilectum,
 plena suspiriis, accentibus & affectibus, frequen-
 tata nocte, summo manè, meridie & vespere, ne
 isti erga dilectum Deum sint inferiores amanti-
 bus profanis, qui dilectas creaturas student can-
 tibus honorare, ac salutare musicis.

*Psalmi
sunt Can-
tica aman-
tiū Deum.*

Huius generis amor ex sacris haustus & nu-
 tritus Hymnis, non semper otiosus lateret in cor-
 de psallentium piorum, sed viridus & efficax op-
 portuno se prodit tempore, varia præbens signa
 sui ipsius: quapropter non tantum varios elicit
 actus erga Deum, quem impensè colit; sed pro-
 pter eundem Deum, ad proximi spiritualem
 vtilitatem impigrè curandam se conuertit, tra-
 dens quoque, si veget necessitas, animam suam
 pro eodem proximo. Hic amoris effectus, iuxta
 regulam à Domino nostro Seruatore traditam, est
 supremus sanctæ dilectionis gradus: *Maiorem* Ioan. I 5.
*hac dilectionem nemo habet, ut animam suam po-
 nat quis pro amicis.* In quo genere altissimæ dile-
 ctionis resplendent omni ætate, & in dies re-
 splendent, Religiosorum ordines, vitam mixtam
 & publicam in choro Hymnodiam proficientes.
 Possimus hoc loco testificari, quæ ab huiusmodi
 Religiosis pro beneficio spirituali proximorum

Sanissima
pestis Me-
diolani an-
no M. DC.
XXX.

exhibita sunt anno proximè elapso M. DC. XXX. dum funestissima pestis Mediolani, ac in tota re Insubria, ac in aliis proximis ciuitatibus gra-
saretur, quæ plura centena depauit hominum millia. Cognouerunt ista loca, imò & plura
stata sunt caritatem quam viderunt haud mediocrem in omnibus prædictis Ordinibus: inter quos, si licet aliquid de nostro Clericorum Regularium Paulinorum dicere particulare, scimus præter eos, quos ad hoc pium caritatis officium erga peste laborantes præstandum elegerant superiores, alios quàm plurimos generosè se sponte per litteras, & coràm obrulissè admodum Reuerendo nostro Patri Præposito Generali, veniam postulâtes omnem suam operam præstare peste infectis. Quare ipsemet Pater Generalis in sua epistola, quam hoc tempore ad vniuersam scripsit Religionem, vt omnes nos excitaret ad communes Deo fundendas preces, aliâque pietatis & pœnitentiæ opera facienda, potuit testari hanc oblationem sequentibus verbis: *At quid facis an mihi nota haud est illa caritas sancta qua vestris ardet pectoribus? numquid ego conscius sum, quàm multi ex vobis, haud sine magna consolatione & adificatione mea, postulaueritis à me Sacramenta sancta ministrandi & in seruitute peste laborantibus? quamobrem ego statui superedere adhortationibus, cum vos videam adeo excitatos & feruidos, vt multis potiùs freno quàm stimulo sit opus. Qui itaque hanc obtinuerunt veniam (quæ minimè pauci fuere) strenuè in hoc caritatis officio laborantes, aliorum salutem amori propria vitæ prætulerunt. Horum multi, nimirum vni viginti, intra caritatis brachia, cuius opus exerce-*

bant, ad cælestem, vti piè credimus, vitam sunt translati: alij à contagioso morbo, quem contraxerunt, conualescentes, sunt, ad maiorem meritorum comparandam sibi copiam, à Deo reseruari. Exigere alicui videbitur hic locus à me, vt explicem, quomodo Hymnorum cantus, qui ad Religionis spectat virtutem, possit adscribi caritati: verùm quia de hac re iterùm redibit sermo Eod. Libro opportunior, cùm à calumniarum falsitate Hym- cap. xxix. nodiam vindicabimus, ad eum differam locum hanc explicationem; In præsentia satis sit ostendisse maximos progressus, quos in cognitione & dilectione Dei acquirenda offert rectus Hymnodia publicæ vsus.

CAPVT XIII.

*Hymnodia est communium calamitatum
validum præsidium.*

TANTA est Hymnodia vis apud Deum, vt illam semper vsurpauerint omnes viri pietatis cultores tempore grassantium calamitatum, siue belli, siue incendij, siue pestis, siue nimborum, siue quarumcumque malignitatum mortales infestantium; quod nunc à nobis videbitur, nisi in omnibus, saltem in præcipuis calamitatum generibus, quæ aliquando Rempublicam fidelium exagitantia fuere à piis animis Hymnodia vsu penitus ablata. A bellorum exordiar calami- *Bellorum* *incommoda* *sunt ceteris* *grauiora.* *2. Par. 20.* tate, quæ semper inter grauiores humani generis afflictiones primum sibi vsurpauit locum, sed Hymnorum pio vsui coacta est statim cedere. Id vidimus in antiqua Ecclesia. Narrat sacra Histo-
ria,

ria, quod regnante Iosaphat verè pio sanctoque Principe, cum res Hebræorum in magno esset luitis discrimine posita, ob inopinatum aduentum trium potentissimorum Regum cum suis exercitibus in terras Israëlitarum, tunc graui instituit Decreto piissimus Rex, ne certamine committerent, nisi præmissa suavi & pia ad Deum Hymnodia, consilium hoc præsidio magis quam viribus propriis. Decretum expleuit præmittentes Cantores & Psaltes, qui ante congressum exercituum laudantes Deum voce consona dicerent Psalmum illum: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* expleto, orta est in exercitibus hostium talis confusio, ut vnusquisque conuerteret gladium, quod contra Israëlitas parauerat, in eadem sæderum, non sine magna sancti Regis Iosaphat admiratione: qui, ne tanti beneficij à Deo obiret deperiret memoria, voluit quod locus ille, non ab hoste deletus in posterum nomen sumeret quemadmodum ab aliis Principibus decretum esset, sed ab Hymnodia ibi usurpata diceretur *Vallis benedictionis*; quia Hymnis Deum benedictes inuocarunt, à quo victoriæ obtinuerunt euentum. Dum in illo populo tunc fidei viget huius piæ institutionis vsus, omnes bellicæ euentus feliciter succedebant: tunc videbatur Deus omnem populi sui assumere sibi causam, & pro ipsis bellum gerere, & ad exitum ipsi licem perducere, ut proinde euulgatum iam per orbem esset, quod Dominus de cælo pugnat pro Hebræis, non sine magno omnium gentium pauore, referente sacra Historia, quod *irruit pa-*
nor Domini super vniversa regna terrarum, cuius
audistis

Psal. 105.
Mira victoria cantu Psalmorum obtenta.

Loci nuncupatio non ab hoste profligato, sed ab Hymnis dictis.
Bella Hebræorum à Deo ipsa conficiantur.

2. Par. 20.

audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos *Hebraorum*
 Israël. Hinc liber de Victoriis Hebræorum con- *nomen erat*
 scriptus, nomen illud tam honorificum sibi est *valde ter-*
 adeptus, *Liber bellorum Domini*. Verè bella om- *rificum*
 nia suscitata contra Hebræorum gentem poterant *gentibus.*
 Deo adscribi quoad euentum; quia semper Deus *Num. 21.*
 præcipuam aliquam operam suam, ad eorum di- *Liber bello-*
 rectionem, rogatus benignissimè præstabat. Ad *rum Domi-*
 quam rem facit illa obseruatio Episcopi Abulen- *ni quis.*
 sis super libros Regum, in quibus præclara bel- *Abul. Præf.*
 la ab Hebræis confecta scribuntur, dum in Præ- *in lib. Reg.*
 fatione ait, Deum peculiari prouidentia in bellis *9.6.*
 Hebræos protexisse: nam aut omne eorum bel-
 lum laude dignum prius à Deo fuit de euentu
 præmonitum, aut eius initium suatum, aut in-
 signi aliquo miraculo eius progressus & exitus ad-
 iutus. Deus præstò erat populo illi, quia Hymnis
 & confessionibus supplex rogabatur vt adesset,
 & causam defenderet, & adiuuaret.

Quamuis dubitandum minimè sit, idem Ca-
 tholicis nouæ Iesu Christi Ecclesiæ Principibus
 posse euenire, cum idem verus Deus à nostra co-
 larur Ecclesia, qui antiquæ Hebræorum Rei-
 publicæ præstò erat, iidemque à nobis vsurpen-
 tur Hymni Dauidici, qui apud Hebræos erant
 in vsu; nihilominus, ne videamur alienis tan-
 tummodò niti argumentis & exemplis, afferre
 nunc libet ex nostris, quæ de piissimo Theodosio
 Iuniore describit in sua Ecclesiastica Historia So- *Socrat. 1.7.*
 crates his verbis: *Si quando bellum concitabatur,* *cap. 22.*
Dauidis exemplum imitatus, ad Deum confugit
Theodosius, pro certo persuasus, eum bellorum
administratorem esse; precumque subsidio adiutus
ea prospere & feliciter gessit. Et ne anxij essemus

circa qualitatem precum quas Imperator vsurpare solitus erat, præmiserat Socrates, cum in deliciis habuisse Hymnorum cantum, quem cum sororibus suis sanctis quotidie primo deliculo singulari explebat deuotione. Quare in progressu addit Auctor, quod non semel cognita Dei omnipotentis virtus manifestè pugnare per Theodosio domi orante contra barbaros hostes & antiqua renouare prodigia, ea præsertim, quæ Moysæ sanctissimo Duce, Hebræis rubrum Mare traicientibus, euenisse sacra describit Historia: nam aperta atque exsiccata est exercitibus Imperatore missis via per aquas nemini vniquam antea peruias. Quem euentum omnino trinitatis Historicus precibus piissimi Imperatoris, dicitur

Ibid. c. 23. *Itaque preces piissimi Imperatoris illo tempore vni plurimum momenti habuisse constabat: nam Angelus Dei in habitu & forma Pastoris ducem itineris Aspari se præbuit, & per stagnum Rauennæ iacens copias eius deduxit, qua via nemo vniquam iter fecisse commemoratur.*

Moyse primus vsus est Hymnis, ad bella hostium conterenda. Hanc Hymnorum piam institutionem, ad bella hostium conterenda, si ab origine sua deducere libet, inueniemus traditam fuisse mortalibus Moysæ, dum iter ex Ægypto faciens vnâ cum populo in libertatem educto, per varios Principum fines pertransiret. Licet tunc nondum essent Dauidici Hymni, Moyses tamen, diuino actu

Arca testamenti vsus in deserto. Hebraei per desertum procedebant instructi more castrorum. instinctu, ordinauit ministros in illis solitudinibus qui diuino vacarent cultui; & sicut Arca arte composuit, cui Deus præsens aderat, quæ deus est Testamenti; ita coram illa cultus peragabatur diuinus. Quoties mouenda erat de loco in locum statio, sicuti omnes istæ mutationes mouebatur

stabant castrorum, quemadmodum scilicet solet exercitus procedere rectè instructus; ita antequam Leuitæ Arcam mouerent, ad cuius motum & gressus totus exercitus iter suum dirigebat, instituit Moyses quemdam breuem Hymnum dicendum à Leuitis, quo inuocabatur Dei altissimi super populum per hostium terras incedentem protectio & præsidium: *Surge Domine* (aiebat Num. 10. Moyses cum Leuitis) *& dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua.* Tantaque erat Israëlitarum in hoc Hymno confidentia, vt in ea sitam posuissent omnem suam securitatem ac fortitudinem; vnde & postea dicta est à Dauide Arca fortitudinis: *Consurge Domine Deus in requiem tuam, in & Arca fortitudinis tua.* super quem lo- cum Lyranus ait: *Dicitur hic Arca fortitudinis diuina; quia fortitudo Dei apparuit per ipsam in Iordanis siccatione, & in Iericho destructione, & in Philistinorum percussione.* Hæc Arca itaque, vnà cum præmissa Hymnodia, erat gentis Hebrææ fortitudo, quia & inuicta ab hostibus, & de hostibus victrix euadebat.

Ex hac pia consuetudine & institutione Moysis, credidit Abulensis desumpsisse nostram Ecclesiam modum illum verè pium, exordiendi suam Hymnodiam ab inuocatione diuinæ super se protectionis, vsurpando verba illa Dauidica ad initium cuiuslibet Horæ Canonice: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Sic vnaquæque hora ferè dici potest vna statio, ad cuius directionem tutiorem imploratur Deus, vt sua protectione adsit exorantibus, & laudes canentibus, ne ab hoste maligno inuisibili, qui semper fuit osor Dei, impediatur ab

2. Paral 6.
Arca testa-
menti dici-
tur Arca
fortitudi-
nis.

Iof. 3. & 6.
1. Reg. 5.

Horarum
Canonica-
rum initiū
ab illis ver-
bis, Deus in
adiutorium
meum in-
tende, vnde
desumptū.

ab

*Chori psal-
lentium
sunt Castra
Ecclesia
validissi-
ma.*

Cantic. 7.

*Oratio pio-
rum mini-
strorum,
iram Dei
auertit.*

ab officio intento. Certè omnes Ecclesiasticae pe-
sonæ, siue viri siue feminae, in choro canente
sunt exercitus validiores militantis Ecclesiae, in
quibus præcipua Christianæ militiæ nititur vis
potentia. Si quis choros Hymnodia deputat
appellaret Castra Dei, non aberraret à modo
quendi Scripturarum sacrarum: nam in Salomo-
nicis Canticis inter laudes nostræ Ecclesiae, sub
nomine Sponsæ significatæ, illa fuit celebris
quam aliàs adduximus: *Quid videbis in Solum-
te, nisi choros castrorum?* vbi non sine mysterio
vniuntur duæ ferè ex diametro oppositæ qualita-
tes, chori scilicet, & castra. Quid commune
ceret quispiam, habere possunt chori musica
cantantium cum castris exercituum? chorus
quidem recipit sonos, concentus & melodias su-
ues; castra verò tumultus, clamores strepitusque
terribiles. Quomodo ista conciliari & vniiri po-
sunt absque dissonantia? Huic difficultati faci-
limè occurreret, si dicamus, in nostris choro
Ecclesiasticis positam esse hanc vniionem: Hym-
norum enim cantus dum maiori expletur fuan-
tate tum vocis tum animi, bellum grauissimum
vrget contra tartareas potestates nobis semper
fensas, & contra hostium visibilium impetum
Ecclesiam & fideles irruentium. Preces itaque
Ecclesiae, quæ cantu expletur, canendo pug-
nant, & pugnando canunt, & arma sunt
quamlibet defensionem opportuna; nam & pro-
tegunt ab ira Dei.

Quories Sacerdotes, Religiosi & Monachi
tempore grauiorum calamitatum ad Hymnos
notè confugiunt, Deum exoraturi, vt iram suam
à nobis auertat, opponunt scutum mirabile
vni

nino furori, ne iaculis acutissimis suæ iræ omnes debeat mortales. Scutum esse Ecclesiasticorum ministrorum orationes, ad populorum defensionem & protectionem, declarauit sacra Scriptura, dum nobis refert modum, quo Aaron iram Dei in populum sæuientis mitigasset, quam sibi irritauerat populus tumultuans, & seditionem commouens. incendium enim à Deo immissum deuorauit statim quatuordecim millia & septingentos de populo. Tunc Aaron vsus fuit clypeo orationis, & Deum placauit: *Proferens* (ait textus) *seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit ira, & finem imposuit necessitati.*

Si pestis insurgat quæ deuoret populos, nullum efficacius remedium opponi ab homine potest, quàm feruens Ecclesiasticorum Hymnodia & deprecatio. Hæc pestilentia non solum obtundit, sed penitus aufert vim, quasi dixerim, inflexibilem. Hoc remedio vsus Hymnographus ipse tempore funestissimæ pestis, qua sublata fuerant è vita septuaginta millia Israëlitarum, Deum placauit. magna enim humilitate pronus in terra, Hymnos arripiens orauit, dicens: *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi, isti qui ones sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Solitus erat Rex sanctissimus in omni vel sua vel Regni calamitate aliquem Psalmum ordinare, & decantare, vt Dei auxilium imploraret, itemque post euentum felicem, alium in gratiarum actionem concinere; nec vmquam sine Psalmis opus vllum aggrediebatur, aut sine Psalmis ab opere perfecto discedebat, vti ex Psalmis quos habemus aperte colligere

Oratio Aaronis scutum populi fuit.

Sap. 18.

Psalentium preces pestilentiam auerunt.

Pestis ablata est oratione humiliter Davidis.

2. Reg. 24.

*Angeli san-
cti sunt mi-
nistri ira
Dei.*

*Pestis Ro-
mæ preci-
bus subla-
ta.*

*Canticum,
Regina cæ-
li lætare,
ab Angelis
composi-
tum.
Sigon. l. i.
de Regno
Ital.*

*Ecclesia in
suis preci-
bus utitur
Psalmis.*

gere licet. Peracta oratione cessauit illico pesti-
lentia strages; nam placatus Deus dicere Angelis
percutienti auditus est: *Sufficit, nunc contine-
num.* Idem euenisse in nostra Ecclesia tempore
Magni Gregorij Summi Pontificis testantur Au-
ctores fide digni. Dum enim pestilentia lues Ro-
mæ grassaretur, nec vllum superesse amplius ve-
deretur naturale remedium, cum omnia adhibi-
ta iam fuissent sine effectu; indicta tandem om-
nium Ordinum supplicatio, qua omnes ad Hym-
norum cantum confugientes, Deum, à quo pro-
pter peccata immissum erat flagellum, plea-
tum reddiderunt. In cuius veritatis comproba-
tionem mirabilis accidit visio. Ad finem Hym-
nodia; sicuti videbatur ab omnibus aëris in-
fectio euanescere, ita visus etiam est Angelum
sublimi aëre gladium, quem exertum portabat

in vaginam recondere; & auditus est iubilans in-
tonare Hymnum in honorem sanctissimæ Virgi-
nis Deiparæ suauissimum: *Regina celi lætare, alle-
luia, quia quem meruisti portare, alleluia.* cui
Pontifex sanctissimus respondit: *Ora pro nobis
Deum, alleluia.* Et quia hæc suauissima visio fa-
cta est super molem Adriani, exinde Castellum
sancti Angeli appellata est illa moles, quæ fuit
vsum arcis redacta. Deinceps ille Hymnus vti-
patus est à tota Ecclesia per tempus Paschale, qui
plenus est iubilo singulari.

Hinc semper Ecclesia ad Hymnorum vsum
quando exoratura est Deum, confugere studuit,
nec sine Hymnis preces aliquas persolvere nouit,
siue oret ordinariè, siue extraordinariè exoret,
nam Hymnos habet ad quamlibet necessitatem
opportunos. Diuus Athanasius, qui in Oriente
fuit

fuit acerrimus fidei propugnator, varias graues-
 que inde passus persecutiones, non ad aliud con-
 fugere solitus erat armamentarium, vt se firmo
 prouideret praesidio, nisi ad Dauidis Hymnos,
 horum vim saepe expertus: imò eos Marcellino
 suadebat tempore calamitatum; vimque praeci-
 puam maximè cognoscebat in Psalmo 53. quem
 sancta vsurpat Ecclesia quotidie ad horam diei
 primam: *Deus in nomine tuo saluum me fac, & in Psal. 53.*
virtute tua iudica me. Hortabatur Marcellinum,
 vt quando vel ab aliquibus quaereretur ad necem,
 vel alias persecutiones pateretur, Deo confusus,
 ad hunc confugeret Psalmum, qui fuerat à Da-
 uide compositus tempore suarum persecutionum,
 quando à Saule quaerebatur ad necem, & à Zi-
 phæis proditus, in periculo quasi manifesto ver-
 sabatur vitæ; sed eo Hymno dicto, mirabiliter
 euasit saluus. Quando igitur aliqua tribulatione
 premimur, vtile est ad Hymnodiam confugere,
 vt Deus laudatus & exoratus, faciliùs adsit pro-
 pitius & adiutor.

Ausim dicere, si vmquam permetteret Deus
 (quod absit omnino) Hymnodia vsus vel om-
 nino cessare in tota Ecclesia, vel in aliqua Pro-
 uincia aut ciuitate, quòd signum esset non ob-
 scurum futurae alicuius magnæ calamitatis. Deus
 vt pluries visum est, quando voluit aut delere,
 aut plaga aliqua magna populos percutere, soli-
 tus fuit praenire seruos suos, eosque ab oratio-
 ne diuertere, imò & illis praecipere, ne orationes
 funderent. Punirurus Deus Iudæos, praecipit Ie-
 remiæ seruo suo, ne omnino orationem adhibe-
 ret aut Hymnodiam: *Tu noli orare pro populo hoc,*
nec assumes pro eis laudem & orationem (nempe Ierem. 7.
 Hymnos,

*Psalmorum
 vsus sem-
 pore perse-
 cutionum.*

*si Psalmo-
 dia vsus
 cessaret, res
 moralium
 periclitat-
 rentur.*

*Deus puni-
 turus popu-
 los, impedit
 orationes
 ne fiant.*

Sophron.
in Prato
spirituali
cap. 50.

Terramo-
tus non po-
tuit auerti
precibus.

Hymnos, quibus laudatur & exoratur Deus, *non obsistas mihi*. Imò nec vult audire preces supplicationesque Sanctorum in cælo. Ad quam rem facit illa visio ab euentu probata, quam refert Sophronius de Abbate Georgio, qui præuidens Asia futurum magnum terræmotum, ad orationem confugiens, tentauit placare iram diuinam. Oranti ostensum est, quòd Sancti tutelares illi Prouinciæ eandem orationem Deo offerrent. Post omnes etiam beata Virgo Deipara suam contulit intercessionem; sed nec Sanctorum nec Genitricis precibus voluit acquiescere iratus Deus. His visis, piissimus Georgius in lacrymas impens desflebat imminentem ruinam. Posteroque die euentus visionem probauit: nam in magno terræmotu, præcipuæ Asiæ ciuitates, stella, & terræ submersæ sunt. Tueamur Hymnodia vsum, Deum enixè exoremus, vt eam benignè aspiciat, sicuti hucusque dignatus est, ad communitatem Ecclesiæ vtilitatem, promptè exaudire.

CAPVT XIV.

Hymnodia est ciuitatum ac Regnorum robur.

*Firmitas
Regnorum
non diuitiis,
non militibus,
non muris,
non legibus
munitur
solis.*

FIRMITAS illa, qua gaudere cupiunt omnia ciuitates omniaque Regna, ad sui conferuamur nem, tum etiam maiorem dilatationem, nõ exilis diuitiis auri & argenti, neque ex sola copiarum, neque etiam ex solo multorum exercituum apparatu, aut murorum aggerumque altitudinibus, neque ex sola optimarum legum & prudentum Magistratum regimine, neque ex his omnibus præ-

præfidiis simul iunctis constituitur, sed ab illo vero Deo, per quem Reges regnant, & legum Conditores iusta decernunt, est expectanda & expectanda; alioquin omnia facillimè ruunt, quemadmodum rectè pieque cecinit suis metris diuus Paulinus Episcopus Nolanus:

Ipse intra muros turris tibi, qui sine muris

Murus erit; ———

sicuti contrà, quando Deo non adhærent ciuitatum & Regnorum apparatus, leues omnino sunt & facillè euertibiles. Muri ipsi, quamuis marmorei, aut ænei, vel etiam adamantini, tamquam leuis arena facillimè nutarent deiicerenturque, vti nouimus ex sacris Historiis euenisse plurimis urbibus. Ierusalem sub Dei protectione viuebat ad eò secura, vt muris non egeret. Iericho muris altis mœnibusque vallata firmissimis, ad simplicem tubæ sonum deiecta corruit. Harum urbium diuersa fors fuit ab eodem sancto Paulino descripta his versibus:

————— *Perspice qui potiore*

Præsidio fuerint, quos vrbs circumdata magnis

Absque Deo muris, an quos sine mœnibus vrbs

Vallabat socio virtus diuina fauore;

Illam dico urbem, quam perdidit acer Iesus.

Quare plurimùm valet pius Hymnodia vsus, ad inuocandum super ciuitates & Regna diuinum præsidium: non idcirco tamen excludere intendimus alios belli apparatus, qui à politicis in optimè constitutâ Republica desiderantur, vt tuta sit, & secura ab omni hostium impetu & aggressu; sed asserendum pro veritate est, quòd homines armati, aggeres, muri & custodes tunc aliquid boni sperare possunt circa urbium pro-

D. Paulinus in Carmin.

Deus firmitatem tribuit Regnis & urbibus.

Deus ubi adest sua protectione, ibi securitas.

Piorum preces sustinent vrbes & exercitus.

K

rectio-

Isaia 26.

Isaia 62.

Religiosi
psallentes
sunt custo-
des urbium.

tectionem, quando diuino innitentur auxilio & praesidio. quod praecipue piorum virorum facili obtinetur postulationibus. Tunc *Saluator* potestur in illis (vt verbis prophetis loquar) *muris & antemurale*. Hinc illa vox Dei ad populum suum, vt eum certum redderet de perpetua omni hostium impetu securitate: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & nocte non tacebunt.* quasi dixerit: Ceteri Principes vt suas tueantur vrbes & Regna communiter non solis muris, vallis aggeribusque ea circumdant, sed in ipsis muris custodes armatos vellesque constituunt; ego autem non militem pro & hasta fidentes, sed Religiosos inermes, religiosasque imbelles, laudibus meis decantant intentos, psalterium loco gladij, meditationum loco hastae, orationesque & Hymnos loco armorum adhibentes constitui. Hos eligit Deus ad muniendas ciuitates, vt melius eluceat eius virtus & potentia; quae tunc magis cognoscitur, quando non media ab hominibus excogitata, sed alia humanae sapientiae parum apta vsurpat, sed adhibet. Nec dubium esse debet de sensu illius Prophetiae, num ad Ecclesiasticas personas respiciat, quae nimirum a Deo electae sunt, ad vigilandum pro custodia & securitate ciuitatum. nam omnis dubitatio prorsus tollitur a D. Hieronymo, qui explicans illum textum ait, verba illa ad Ecclesiam nostram dirigi, in qua Sacerdotes constituti sunt custodes. Huic sensui concinit diuus Bernardus declarans ea verba Cantuorum, *Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem.* Vbi ait, vigiles istos esse Ecclesiasticas personas, quae in orationibus pernoctantes orant pro populo.

D. Hieron.
in Isaia.

D. Bern.
Serm. 76.
in Cantic.
Cantic. 3.

populo, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, & machinamenta frustrantur.

Quod ut cognosceretur verum in nostra Ec-
clesia, dignatus est omnipotens Deus hanc rem
miro euentu illustrare, qui omnibus sæculis erit
tantæ veritatis præclarum testimonium; præfer-
tim quia non virorum electorū, sed fragilissimæ
imbecillimæque virginis opera successit. Reco-
lamus hoc loco euentum illum verè horribilem,
quando, Saracenis Italiam inuadentibus, fuerat
domus sanctissimæ virginis Claræ Assisinas à
Barbaris illis obsessa, vbi ipsa cum aliis sanctis
virginibus Deo altissimum præstabat famulatum.
Credebant Barbari, in illa domo sitim se exple-
turos suarum libidinum, at euentus eos fefellit,
Domino pugnante pro suis seruis. Dum domui
inferebant vim Barbari, alij scalas, ut tecta
ascenderent, admouentes, alij portas & fenestras
aggredientes, generosa virgo virili se opposuit
fortitudine, non materialibus armis, clypeo, ha-
sta, ense, bombardis armata, sed virginibus suis
associata templum ingrediens, quasi armamen-
tarium munitissimum, illicque cantato Psalmo,
sumptioque in manibus sanctissimo Eucharistiæ
Sacramento, Hymnos prosequens animosa pro-
cedebat aduersus armatos hostes: & ad ea verba
Hymni, *Ne tradas bestiis animas consistentes tibi*, Psal. 73.
illicò diuina affulsit protectio. Verbis illis quasi
diuino ictu perculsi Saraceni, alij præcipites è
muro capti oculis ceciderunt, alij turpissimè fu-
gientes, numquam ampliùs se conuertere sunt
ausi. En igitur declaratum à Deo, quòd virgines
illæ innocentes, quæ sæculi fastu & pompis reli-

*D. Clara
virginis
precibus
fugantur
Saraceni.*

*Puellule in
Monaste-
riis incluse.*

& Religiosi pauperes tuentur ciuitates. Etis Deum sequuntur in Claustris oclusæ, & pauperes illi Religiosi, qui mundi gloriæ renuntiantes, pannosas vestes amant, & vitam eligunt abiectam in domo Dei, ciuitates, Prouincias & Regna sustentant, & portant humeris suis.

Politici homines precum vim non estimant. Tantum hoc bonum licet à sæculi amatoribus & à politicæ sapientiæ professoribus non cognoscatur, cognoscitur saltem à viris sanctis, sed etiam quandoque à Principibus summis, quando cælesti illustrari lumine digni effecti sunt. Re-

Eliseus erat præsidium Israëliti Regni. Israëli Ieroboam, filius Regis Ioas, id cognoscere dignus fuit, videns Regni sui firmitatem

vno Eliseo Propheta, magnæ pietatis viro, esse, vt proinde illum appellauerit *Currus Aurigam* totius Regni sui Israël, dum eum fleu ægrotantem, timebat enim, ne mors tantum in coronæ præsidium eriperet; fleus itaque coram

eo dicebat: *Pater mi, pater mi, Currus Israël, Auriga eius.* Hinc Philo Hebræus, expendens verba illa Dei ad seruum suum fidelem Abraham Patriarcham, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, concludit: *Fulcrum generis humani in seculo est.* Deinde docet orandum pro incolumitate rectorum: *Oremus, vt, cum columna in domo, in manu genere homo iustus permaneat ad calamitatum remedium; nam hoc incolumi, de publica salute desperandum non est.*

Idem cognoscere dignatus est in nostra Ecclesia summus Ecclesiasticæ Hierarchiæ Princeps Innocentius huius nominis Tertius, dum anceps esset, an noui Religiosorum Ordines proponendi duobus viris, qui tunc quasi noua Ecclesiæ Sidera resplendebant, à D. Dominico & D. Francisco, essent admittendi, & approbandi: cum Pontifici

Duo Ordines Religiosi, D. Dominici & D. Francisci, Ecclesiã sustinent.

Pontifex repellere statueret oblatam petitionem horum virorum, ostendit illi Deus in somnis eosdem viros sustinentes propriis humeris collabentem Lateranensem Basilicam, quæ est totius orbis insignior & dignior Ecclesia. Hac visione intellexit Vicarius Christi, magnum Ecclesiæ præsidium prouenturum ex horum sanctorum virorum propositis Ordinibus, qui verè sustentarunt & sustentant Ecclesiam exemplo, doctrina, oratione, Hymnodia & sanguine. Sicut hi duo Ordines Hymnodiaæ vsu in choro magno tuentur studio; ita ex illis prodire, & in dies prodeunt, viri in doctrina, sanctitate & dignitate præcipui, sancti Confessores, Virgines, Martyres, Doctores, ad Ecclesiæ sanctæ non solùm decus, sed & præsidium & robur.

Consuetudo inuiolabilis sanctorum piorum—*Religiosorumque Ecclesiasticorum, vt muneri suo respondeant, semper extitit confugiendi tempore necessitatum ad Psalmos & orationes. Huius rei illustre exemplum posteris reliquit, Religiosis præsertim & Ecclesiasticis personis, sanctus vir*
res persona ad Deum confugiunt calamitarum tempore.
 Ceadda Anglus, qui, referente Beda, quoties vel Beda lib. 4. venti insurgerent violenti aut nimbi grauiores, Histor. Anglic. cap. 3. depositis illicò libris, quos fortè legebat, genua flectens implorabat Dei misericordiam, ne ciuitati vllum damnum accideret. Si procella augebatur, tunc, relicta domo, ad Ecclesiam procedebat, maioriq̄ sollicitudine in Hymnis & orationibus perseuerabat, donec aëris serenitas rediret. Interrogatus à domesticis quare id faceret, respondit: Nonne legistis, quia *intonuit de celo Psal. 17. Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grandædo, & carbones ignis. Et misit sagittas suas, & dissipauit*

panit eos; fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.
 Hinc inferebat, quòd cùm Deus huiusmodi commotiones excitat, uellet terrigenas ad terram assurgere, idcirco, sicut oporteret omnes mortales huic caelesti admonitioni & intentioni respondere; ita deberent Dei ministri Hymnis & orationibus diuinam implorare misericordiam, crescentibus procellis, tandem ab ira eius sagittis percutiamur. Hinc etiam cognoscere licet, quàm diuersas cogitationes & affectus

Ex Meteoris, quæ accidunt in dies, nouerunt esse re uiri sancti, ab illis cogitationibus & affectibus quos communiter eliciunt mortales. Communiter ad causas naturales omnis euentus referuntur, illi uero ad auctorem ascendunt naturæ, eiusque penetrare student consilia & iustas intentiones. Munus profectò dignum imitatione, præsertim apud viros Ecclesiasticos, qui dum ex animo sua electioni respondere satagunt, poterunt dicere vnà cum anima Canticorum electa: Ego maris & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo pacem reperiens. Nam sancti uiri orantes & preces lentes sunt muri, sunt valla, sunt turres populorum, sunt arces & munitiones urbium. Nonnulli Deum exaudisse Moysen, Ieremiam, Danielem, Mardocheum & alios iustos viros, pro populi salute & incolumitate deprecantes: nunc etiam uideamus eum exaudire seruorum suorum orationes, gemitus & deprecationes pro bono publico factas. Populi feliciores beatiorefque se uicturos sperabunt, dum in eis uigebit oratio & deprecatio seruorum Dei.

Cantic. 8.

Populorum incolumitas ex orationibus piorum pendet.

CAPVT XV.

Hymnodia beneficia obtinet temporalia.

QVI Deum omnium bonorum, tum spiri-
 tualium tum corporalium, vnicum verum
 auctorem & fontem agnoscunt, dicentes cum
 sancto Apostolo Iacobo, *Omne datum optimum,* Iacob. 1.
& omne donum perfectum, desursum est, descendens
à Patre luminum, studiosi maximè fuerunt & fa-
 miliares Hymnodia; qua omnem suam spem in
 Deo sitam esse testātes, Dei opem ardentius inuo-
 cāt, in omni quæ vrget necessitate Dauidem imi-
 tantes: qui sicut omnem spem suam in Deo po-
 sitam habebat, & supplex ad ipsum confugere
 satagebat, nihil vñquam à casu, nil à fortuna
 aut expectans, aut cognoscens, ita plurimos de
 hac re composuit Hymnos, diuinam erga iustos
 commendans prouidentiam & protectionem, ef-
 fectusque re ipsa cuilibet postulanti præstitos de-
 scribens, spem suam ad Deum erigit, nutrit, &
 auget. Nil est in quo sit magis frequens sanctus
 Dauid, quàm in hac spe in Deum memoran-
 da; hanc sibi suggerit, ad hanc alios hortatur,
 hanc semper in ore habet quasi dulcissimum mel,
 ad condiendos suos affectus. Qui hanc sequun-
 tur, erigunt animum inter aduersitates, & exci-
 tantur ad fortiter tum operandum tum sustinen-
 dum, & per hanc expectant à Deo salutem, opes,
 auxilium, robur, vñico verbo dicam, omne bo-
 num, imò huius spei suauis recordatione dele-
 ctantur. Dionysius Carthusianus, vir in contem-
 platione & studio Hymnorum Dauidicorum in-
 signis,

*Sperantes
 in Deo ora-
 tionem fre-
 quentant.*

*Spes in Deo
 nutritur
 Dauidicis
 Psalmis.*

*Dionysius
 Carthof. in
 Psal. 61.*

signis, dum scriberet super Psalmum 61. qui notus ferè est in huius sanctissimæ spei commendationem, dicebat verba illa, *In Deo salutare meum & gloria mea: Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est*, esse omni menti deuoræ suauissima super me & fauam.

Spem in Deo numquam abiecit David, etiam in aspectu periculis.

Hanc spem exercebat David in omni euentu nec vngue quidem ab illa discedens, etiam si manifestè ipsius periclitaretur vita: imò tunc salutem magis à Deo expectabat, ac postulabat, postulatamque obtinebat, quia se totum illi committebat. Quam veritatem si liber in aliquo euentu considerare, ad periculum illud vitæ, cui ineuitabile, conuertamus mentem, quando huiusmodi accidit David iram Saulis, contulerat se ad Gethiam Achis Regis incognitus, vt tutior ibi manere liceret. Dum ibi moraretur, non defuerunt qui ipsum cognoscentes statim ad Regem deferrent, dicentes, hunc virum fuisse valdè infestum Regno, plurimis contra ipsum Regem confectis bellis; suadebantque Regi, vt à tanto bellator caueret, imò hortantes, vt eum è vita tollerent, quo sibi suoque Regno consuleret, & Regi Saul pergratam rem faceret. Hæc consilia cum ad Saul peruenissent Davidis, & illicò se viderentur captum & adductum ad Regem, vt examinaretur, cognouit, nullum sibi efficacius ad salutem impetrandum remedium, nisi ad Deum suum adiutorem confugeret, à quo omnia bona semper expectabat. Composuit Hymnum 55. *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo*, vt ex titulo appposito conspici potest, qui dicit, *David cum tenuerunt eum Allophyli in Geth*. Finita hac oratione, dum à Rege variis tentaretur interrogationibus,

A vita periculo graui quomodo euasit David.

Psal. 55.

gationibus, ipse prudentia utens, simulavit insaniam, nullum respondens consonum verbum: quapropter Rex, cum suis Consiliariis, statuit eum liberum dimittere absque damno. Hanc gratiam Deo suo acceptam referens, minimè autem propriæ tribuens prudentiæ, statim alium Hymnum composuit Dauid in libertatem egressus; laudansque Deum tanti beneficii operatorem, dixit: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Nec attendere quicquam debet ordinem huius Psalmi, quia sit 33. in libro Psalmorum: euentus enim in hoc Psalmo decantatus fuit verè posterior alio iam cantato in Psalmo 55. Causa autem huius præposteris ordinis est in promptu, tradita à sancto Chrysostomo; quia scilicet Psalmi dispositi sunt in libro quem habemus non iuxta seriem rerum gestarum, sed temporum quibus reperiebantur & colligebantur. Cùm liber Psalmorum deperditus esset in Babylonica captiuitate, paulatimque Psalmi reperirentur, modò nempe vnus, modò alius, & ab Esdra tandem sint collecti in vnum librum; hinc est, quòd priùs reperti sint qui posteriores erant in euentibus narratis Psalmus itaque 33. fuit à Dauide compositus in gratiarum actionem ob salutis vitæque conseruationem, dum in periculo versaretur coram Rege Achis, quemadmodum ostendit titulus affixus, qui sic habet: *Dauidi, cùm immutauit vultum suum coram Achimelech.* Achis autem & Achimelech, ex diui Basilij sententia, sunt idem Rex. Achis nomen erat proprium, Achimelech verò nomen commune Regum Palæstinæ, sicut Pharaò Regum Ægypti. Hymnos itaque canebat Dauid opem imploraturus,

Psal. 33.

Psalmorum ordinem, non seriem rerum gestarum sequitur.

S. Chryl. Procem. 2. in Psal.

Psalmi Dauidis amissi in captiuitate, paulatim inueni.

D. Basilij? Homil. in Psal. 33.

rus, & beneficium aliquod temporale à Deo obtenturus; Hymnis etiam utebatur gratias redenturus, quia Deum omnium bonorum & donorum auctorem cognoscebat.

*Spes in Deo
quomodo
firmanda.
Psal. 54.*

Eandem spem aliis suadere non destitit Dauid, ut in omni necessitate & pressura ad Deum Hymnis inuocandum incitet. hinc illæ voces *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te eruet; non dabit in aeternum fluctuationem iusto.* Voluisset vir sanctus, quod in solum Deum omnes mortales omnino proiicerent suam de rebus temporalibus sollicitudinem, certi, quod ab ipso non solum ad sufficientiam, sed ad copiam iuuabuntur: quia si irrationabilibus tanta Deus tribuit ad sustentationem vitæ, imò ad delicia adiuuenta, quanto maiora daturus erit liberalissimus Deus iis, qui ad illius imaginem facti sunt diligere, & toto corde inuocare nouerunt? *Iacta igitur super Dominum curam tuam, & ipse te eruet;* vel, ut alij legunt, *Iacta super Dominum*

*A Deo omnia bona
expectanda
tam animæ
quam corporis.
S. Anaclet.
Epist. 2.*

gitatum tuum omnem, nimirum tum circa salutem animæ spiritualementem, quæ à Deo est expectanda; tum circa res temporales huius vitæ mortalis, quæ à Deo sunt explendæ. Quid etiam magis innuitur per hunc textum, iuxta lectionem sancti Anacleti dicentis, *Proiice super Dominum caritatem tuam.* Non solas cogitationes, sed etiam affectum expedit ad Deum dirigere, ipsi corde fidentes, & ab ipso expectantes tanta certitudine bona temporalia quæ expedire iudicabuntur, ut facienda pro factis habeantur: quemadmodum Dauid in angustia positus tanta animi fiducia Deum Hymnis exorabat, quanta si pro obtentis beneficiis gratias ageret. Id videre licet
Psalms

Psalmo 60. vbi post prima petitionis verba, *Ex-Perfecta*
audi Deus deprecationem meam, intende orationi Spes in Deū
mea, statim in gratiarum erumpit actiones, ac si nullam ha-
 esset factum quod adhuc futurum erat: *Quoniam* bet formi-
tu Deus meus exaudisti orationem meam, dedisti Psal. 60.
hereditatem timentibus nomen tuum. Si mundus Mundi pro-
 postulare ausus fuerit, vt ad ipsum confugas in misiones
 necessitatibus, promittens effectus opratos, caue non audien-
 illum audias, sed, iuxta Dauidicum consilium, da.
iacta super Dominum curam tuam; & responde Psal. 54.
 mundo inuitanti cum diuo Augustino in hunc
 locum: *Portum quero, non saxum.* nam à Deo
 bona perfecta expectanda sunt, non à mundo, à
 Creatore, non à creatura. Nec vniquam spes in Spes in Deo
 Deo posita aliquem confundi passa est, vti diser- non confun-
 tē ostendit diuus Augustinus ad ea verba eius- ditur.
 dem Hymnographi: *Non confundentur in tem-* D. August.
pore malo, & in diebus famis saturabuntur. In die in Psal. 36.
 tribulationis & angustiarum non confundentur,
 sicut confunditur quem fallit spes posita in men-
 dacio. *Omnis autem homo mendax.* Spes in Deo
non confundit, quia ille, in quo spem posuisti, falli Rom. 3.
 non potest. Rom. 5.

Nusquam sapius prædicatur diuinæ miseri- Spes iusto-
 cordiæ erga sperantes in ipso Deo facilitas, be- rum nutri-
 nignitas suauitasque eiusdem Dei, præsertim er- tur Psal-
 ga destitutos ab omni creaturarum auxilio, quàm mis.
 in Dauidicis Hymnis. Quare si quis diceret, Da-
 uidis Hymnos esse verè sperantium in Deo ci-
 bum quotidianum, escam opportunam, & cer-
 tissimum fulcrum, nihil aberraret à veritate.
 Multus nimiusque essem, si hoc loco suggerere
 vellem omnes sententias in ipsis Psalmis conten-
 tas, spem iustorum erigentes, confortantes: vni-
 cam

Pfal. 9.

cam penitus non omitam, ex qua animus pſal-
lentium conſurgere diſcet ad alias quæ paſſim de-
feruntur à Pſalmis. De Deo igitur loquens ad
quando Dauid, eum inuocauit his verbis: *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* O mirifica
ſuauem appellationem pro ſperantibus in Deo
nam certi redduntur, quòd ſibi numquam ſit de
futura, ſed opportunè affutura diuina miſericor-
dia, ne animo cadant, nèue tribulationibus ſuc-
cumbant. Verè adiutor noſter eſt opportunus in
tribulatione miſericors Deus iis qui in eo ſperant.

quare ſtatim ſubdit Hymnographus hortationem
congruam omnibus fidelibus, *Et ſperent in nomine tuo, qui
nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquit bo-*

quarentes te. Certiſſimè hos non derelinquit bo-
nigniffimus Deus, qui numquam paſſus eſt ſibi
confundi ſeruos; quemadmodum poſt ſecula
multa Bethuliensibus Magiſtratibus & ciuibus
ſuis, inſigniorum ſanctorum propoſitis exem-
plis, prædicauit, paucifque poſt diebus, expe-
riencia ſecuti euentus approbante, cõfirmavit ge-
neroſiſſima ac ſanctiſſima illa uidua, quæ in

Iudith 15.

fuit à populis acclamãtib; dicta *Gloria Ieruſal-*
letitia Iſraël, honorificentia populi, nempe cu-
bris omniq; ueneratione digna Iudith: qui in
animo virili ſuaſerat uiuam in Deo ſpem, dicitur

Ibidem 8.

*Expectemus humiles conſolationem eius, & exquirat
ſanguinem noſtrum de afflictionibus inimicorum.*
ita uiriliter operam ſuam diuinæ à ſe ſperate fac-
tricæ uirtuti exhibens, uictrix, de numeroſiſſimo
multiſque uictoriis inſolente hoſte reuexit trium-
phum.

Pfal. 9.

Adeſt igitur miſericors Deus noſter *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione* (quod ve-
riis aliis modis ſæpè ſæpiùs replicant Dauidicæ
Hymn

Hymni, illi præsertim qui Feria secunda ad Matutinas preces leguntur, & decantantur;) neminem ipse necessitatibus afflictum penitus derelinquit, sed quemlibet ab amicis, à fratribus, à genitoribus, à Magistratibus, à Principibus derelictum suscipit ac protegit: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Istæ autem similesque sententiæ, quæ psalmentibus frequenter obiiciuntur, mirificè animum tum canentium tum audientium exhilarant, erigunt, confortant. Et quod aliis prædicabat sanctus David, id in se ipso re & effectu exercebat, omnem suam spem in diuina collocans misericordia.

Propter excellentem hanc spem in Deo, numquam David euentus suos expectauit, aut postulauit ab alio quàm à Deo, numquam ad casum vel fortunam se conuertens; quemadmodum ceteri politici soliti sunt frequenter se conuertere, præsertim quibusdam euentibus, qui à solo casu videntur ortum habere. Vnum hinc referam ceteris insigniorem, qui aliis exemplum offeret ad informationem. Fugiebat David ad montes præruptos, vt se incolumem seruaret à nece, quam illi Saul inferre tentabat, eum persequens cum magna militum copia. Tandem deuenit David in desertum Maon, quò perueniente Saule, vidit se in maximis angustiis positum; nam à militibus Regis vndique cingebatur, absque vlla spe fugæ: *Saul & viri eius in modum coronæ cingebant David.* Quid consilij arripies, ô David, in hac angustia? Vir egregius Deo soli fidens, illicò, flexis genibus, ad Deum suum cor & vocem conuertens,

Psal. 10.

Psal. 26.

Politici casu sui & fortuna tribuunt euentus.

1. Reg. 23.

Cap. XIII. uertens, cecinit Hymnum illum 53. de quo paulo
 Psal. 53. antè memoratum est, *Deus in nomine tuo saluum*

me fac, & in virtute tua indica me; quo non
 dum expleto, mirum affuit auxilium, nam
 xius apparuit nuntius, ad Saulem perferens
 Philisthæorum agmina in terras Israël erupisse
 & ab iis, nisi illicò occurreret, Regnum totum

1. Reg. 23. occupatum iri: *Festina, & veni, quoniam insu-*
runt se Philisthim super terram. Hoc audito
 tio, Saul coactus est conuertere consilia & ge-
 tem ad sui regni defensionem, vnde Dauid
 periculo extitit liber. Qui politico oculo & sa-
 lu humano hunc euentum expenderet, sic
 las causas proximas consideraret, ita ad eam
 confugeret, & ad bonam felicemque Dauidis

Deus om-
 nis fortuna
 auctor.
 fortunam. At Dauid diuini regiminis confici-
 non casui non fortunæ adscripsit euentum, sed
 Dei supremæ ordinationi & prouidentia, à
 omnem suam fortunam semper pendere profe-
 sus est; idè Hymnum suum conclusit tum ge-
 tiarum actionibus, tum etiam sponsonibus pe-
 petuorum Sacrificiorum: *Voluntarie sacrificium*
tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam
num est; quoniam ex omni tribulatione eripisti me,
& super inimicos meos despexit oculus meus.

Eandem consuetudinem omnes viri iu-
 nuerunt, & obseruarunt, ad Deum confugi-
 tempore suarum necessitatum, Hymnos ad-
 bentes vel derepentè compositos, acti diuino
 ritu, vel à Dauide acceptos; quem vsum salu-
 numquam omittebant post accepta beneficia,
 declararent se illa à Deo auctore accepisse: hinc
 ortum duxerunt tot nobiles Hymni, à præcipuis
 roibus tum prisca tum nouæ Ecclesiæ decantati

in laudem Dei omnium donorum Auctoris, de
quibus supra egimus, cum de gratiarum actio- Cap. VII.

nibus fuit sermo. Ut autem de his, qui ad Davi-
dis Hymnos confugientes, suam spem in Deo
positam declarabant, eum inuocantes tempore
necessitatum, aliquid videamus, vnicum hinc

profero Paulum Apostolum, qui dum in carce- Act. 16.

re vinctus maneret vna cum Sila, & peregrina- Paulus A-

tionis & praedicationis socio; sicut rem suam, postolus

Deo fidens, orationibus commendare non desi- Hymnos

stebat, ita Hymnos alta voce Deo latus canebat: concinens

ex quo cantu (res mira) catenae & vincula resolu- à vinculis

ta sunt, & ostia carcerum reuerata, ita ut potuis- absoluitur.

sent exire, si placuisset. Post Apostolos etiam

diuus Athanasius, vir Apostolicus, fideique Ca-

tholicae acerrimus defensor, in suis persecutioni-

bus, quas passus est grauissimas, semper ad Da-

uidicos Hymnos magna fiducia confugiebat. Ali-

quando accidit, quod dum conuenissent Ariani,

qui eum ad necem querebant, impetu facto in

Ecclesiam, vbi sanctus Episcopus cum suis Cle-

ricis diuina obibat Officia, ut eum inde raptum

occiderent; ipse nihilo timidior effectus in tam

aperto vitae discrimine, iussit Diaconum suum al-

ta voce concinere Hymnum Davidis: *Quoniam* Psal. 135.

in eternum misericordia eius. quo expleto, vna

cum aliis ministris & sociis suis, absque vilo

Arianorum impedimento, egressus Ecclesiam, Socrat. l. 2.

mirabiliter euasit. Hunc celeberrimum casum te- Hist. cap. 8.

stantur omnes Ecclesiastici Scriptores, propter Theodo-

magnitudinem miraculi. Et sicut horum Hym- ret. lib. 2.

norum ipse fuerat in semetipso expertus vim, ita cap. 13.

aliis eisdem consulebat tempore alicuius necessi- Sozomen.

tatis, quemadmodum scribit Marcellino, eum lib. 3 cap. 5.

exhortans, Nicephor.

lib. 9 cap. 6.

exhortans, vt in omni necessitate & euentu ad aliquem ex Psalmis piè recitatis confugeret; imò illi ostendere & declarare studet cuiuslibet Psalmi virtutem & intentionem, vt opportunè illi valeat vsurpare.

Pia Psalmorum recitatio pròdest in necessitatibus.

Nostra Ecclesia solet in suis orationibus & precibus, pro quocumque beneficio obtinendo Deo, siue pacis siue vbertatis, siue serenitatis siue sanitatis, Psalmos vsurpare, eligens ex eis aliquem ad rem magis opportunum. Eamdem precum & orationis formam amplectuntur omnes viri pietate insignes in suis propriis & in aliorum necessitatibus. Modò absit superstitio, Psalmi vsus valet ad omnia beneficia temporaliter

Psalmorum vsus superstitiosus reprehendendus.

tinenda. Dixi, *Modò absit superstitio*: quia non desunt profani homines qui Psalmis abutuntur non sine graui culpa, ad effectus obtinendos vi verborum alicuius Psalmi, prout talia verba sunt. Quidam ad se ipsos vel alios sanandos accingunt, aut legendos curant Psalmos Pœnitentiales, vnà cum orationibus ad Deum vel ad Sanctos directis, simul cum quibusdam illicitis exorcismis. Alij gestant aliquem Psalmum è capite pendentem, vel in aliqua corporis parte applicatum, in eo spem ponentes vel sanitatis à febre, à dolore dentium, capitis & stomachi, vel liberationis à periculis ignis, aquæ, ferri, vulnerum, & casuum; tantamque in hac scriptura spem collocant, vt temerè aggredi & ingredi audeant quocumque periculi occasionem, dum tali sunt Psalmi muniti: verùm isti infelices non agnoscunt se à dæmone deceptos. Hic astutus sub nomine horum Psalmorum qui fuerunt à Deo dicti, quasi sub dulcedine mellis, propinat animis venen-

nenum ; ipse operatur illos effectus expectatos, ut infelix peccator illi Psalmo fidens alia pericula aggrediatur, donec tandem in aliquo istorum pereat, non solum quoad corpus, sed etiam quoad vitam æternam. Diabolus, qui ei affiterat pluribus vicibus, quando aduertit hunc esse in statu peiori suæ damnationis, deserit, & finit eum periclitari ad mortem. Signum, quod superstitio adfit, est, si in sola scriptura Psalmi spem quis ponat, nihil cogitans de Deo, ad quem Psalmus ille dirigitur : si item putet Psalmum esse scribendum hoc vel illo genere characteris vel signi, in hac vel illa membrana, non in alia : si item adhibeat Psalmos ad effectus obtinendos qui sint contra bonos mores : si item recitet, aut recitandum curret Psalmum, non seruato ordine versiculorum in Bibliis sacris posito, sed iuxta quamdam distributionem à dæmone iam traditam. Amota itaque omni superstitione, si vsurpentur Psalmi piè & religiosè, ut à Deo concedantur postulata, quemadmodum vsurpantur in choro & in priuatis recitationibus à ministris deputatis, qui nomine Ecclesiæ orant & psallunt, optimi sunt & efficaces ad omnem fauorem obtinendum. Psalmi igitur Dauidici exorant & impetrant ; Psalmi Dauidici gratias referunt ; Psalmi Dauidici laudem & honorem Deo omnium bonorum auctori tribuunt.

Diaboli astutia plures decipit sub nomine & vsu Psalmorum.

CAPVT XVI.

Hymnodia demonibus odiosa.

*Diabolus
odit rectum
Psalmorum
vsum.*

HOSTIS humani generis nostri diabolus maximo ardore odisse Hymnodiam compellitur; quia videt per eam expleri à mortalibus in terris id munus, quod ipse in cælis maxima felicitate explere potuisset, imò debuisset, sed ex propria peruersitate turpissimè amisit. Electus erat ad illum gloriosum Hymnum, à Græcis Teragion appellatum, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus*, cum perpetuo ineffabili gaudium cum aliis Angelis in æternum decantandum nunc videt ex vna parte se eiectum ab illo felicissimo munere, & ad perpetuas euomendas impudissimas blasphemias deductum; ex alia verò hominem, gradu & natura inferiorem, conspici deuiatum ad idem altissimum munus. Nam quæ faciunt Angeli in cælis (verbis vtor D. Hieronymi) hoc Monachi faciunt in terris. Tanta torquetur inuidia, vt ausim dicere, magis hac inuidia quàm gehennalibus torqueri cruciatibus. mihi licebit affirmare maior & libertate, quàm cem sequar securum & sanctum Doctorem. Niluus Bernardus, considerans diaboli miseram infelicitatem infelicemque miseriam, ait, quòdurissimè torquetur ex inuidia; obseruatque quòd ideò multi ex dæmonibus in aère medi inter cælum & terram suos referunt cruciatus, & inuidiæ tormentum magis magisque augeatur e visione triumphantium Beatorum in cælis, & istorum peregrinantium in terris, explicans de diabolo

D. Hier. in
Psal. 115.
*Diabolus
torquetur
acrius ex
inuidia in
homines
quàm ex
igne.*

diabolo illa verba Psaltis, *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet.* Eiusdem sancti Patris verba profero, ut melius cognoscatur tanti hostis grauius cruciatus: *In* D. Bernard. Serm. 54. in Cantic.
*pœnam si quidem suam, locum in aëre isto medio inter calum & terram de celo cadens sortitus est, ut videat & inuideat, ipsaque inuidia torqueatur, Scriptura dicente: Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet. Quam miser cum suspicit celos, in quibus innumeros montes intuetur diuina claritate fulgentes, diuinis laudibus exultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia; quam miserior cum respicit terram, montes nihilominus quam plurimos de populo acquisitionis habentem, fide solidos, spe excelsos, caritate spatiosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos, de rore celi, tamquam de saltu sponsi, quotidianam capientes benedictionem. Vsurpat sanctus Doctor nomina montium, quia tunc in eo Ser-
 mone explicabat verba Canticorum cap. 2. *Ecce Cantic. 2. iste venit saliens in montibus.* vbi nomine montium intelligit sanctos Angelos & iustos fideles, atque, ex horum felicium montium visione, quam diabolus vitare non potest, cum sit in medio aëre collocatus, oriri inuidiam magis vren- Inuidia magis vrit quam inferni ignis,
 tem quam gehennæ ignem. Maxima itaque ardet inuidia diabolus, videns homines mortales in Hymnodia assiduos, quia ab illius usu se cognoscit iuste expulsus. Tanta torquetur pœna ex hoc sancto mortalium studio, ut etiam campanæ euocantis ad chorum oderit ipsum sonum. Hoc audito, omnem aliam dimittens occupationem, quam summa tunc expleret voluptate inter mortales, velocissimè fugiens, se recipere cogitur ad*

teterrima pœnarum loca, faciliùs sustinens horrorem carceris quàm huiusmodi sonum ad laudes excitantem diuinas. Huius insignis effectus innotuit nobis veritas ex iuridica confessione sagarum à ludis & conuenticulis suis impiis redeuntium, quæ deportatæ ab amafis dæmonibus, si in huiusmodi reditu contigisset pullari alicuius Ecclesiæ, siue virorum siue mulierum, campanam pro Matutino Officio, illico à dæmone vectore fugam arripiente derelictæ, reperiebantur nudæ in agris, plateis aliisve locis vbi campanæ audiebatur ictus. Huic rei fidem præbet

Paul. Gril- panæ audiebatur ictus. Huic rei fidem præbet
land. lib. 2. luculentissimam graues Scriptores, qui munc
de Sortil. fungentes Inquisitorum eam ab ore propriis
quæst. 7. garum acceperunt. Nobilis iste euentus licet et
Martin. del garum acceperunt. Nobilis iste euentus licet et
Rio lib. 2. certus, ita valdè commendat præstantiam publi-
Ditq. q. 16. cæ Hymnodia; cùm non solùm ipsemet actuali
& lib. 6. c. 2. Hymnorum cantus, sed ea etiam, quæ ad ipsum
Sect. 3. q. 3. preparant psallentes, odio habeantur à dæmonibus,
bus, qui ea tantùm odisse coguntur quæ meliores
sunt & pretiosiora. Quòd si non omnes dæmones
fugiant sonum campanæ euocantis, imò aliqui
ex tali excitentur sono ad proprium tentandi mu-
nus siue resumendum siue acriùs exercendum
chorum etiam, vbi ipsa expletur Hymnodia, in-
gredientes admixti psallentibus, id euenire scien-
dum est, quia isti sunt huic muneri destinati
ex imperio Dei, cuius ipsi sunt deputati satel-
lites seu scribæ, ad excipiendum in codice repido-
rum psallentium defectus in Psalmodia commi-
sos, pœnis debitis suo tempore luendos; aut et
dæmonum principis imperio, qui eis iniungit,
vt à psallentibus studeant quoscumque possunt
defectus, siue leues siue graues, obtinere, vt Hym-
nodia

nodia reddatur aut omnino vitiosa, aut saltem minus grata Deo, ad quem dirigitur.

Deinde etiam torquetur dæmon, quia plures inde nouit fructus quotidie deriuari, tum conuersionis à peccato ad gratiam, à via sæculi ad viam Dei; tum etiam quia progressus inde maiores ad vitam perfectiorem in multis videt non semel fieri. De diuo Fulgentio produnt Auctores, ex sola lectione Commentarij à diuo Augustino conscripti & editi in Psalmum 36. *Noli emulari in malignātib; neque zelaueris facientes iniquitatem* (qui totus est in cōmendationem veræ virtutis & diuinæ prouidentię erga virtutis studiosos & iustitię sectatores, quibus tandem, post varios casus, omnia cedunt prospera & felicia) conuersum esse ad pietatem & virtutem tanto ardore, vt deinceps egregios in omni pietatis actione progressus fecerit. De aliis multis testimonium reddit D. Augustinus, quòd audientes in Templis suauißimum sonum illius dulcissimi Psalmi, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum*, auxilio gratiæ cælestis adiuti, relicto sæculo ad habitum & vitam Monasticā se conuerterint; ideò vocare non dubitat huius Psalmi initium Tubam tantum Religiosorum & Monasteriorū Patrem: *Ista enim verba Psalterij, iste dulcis sonus, ista suavis melodia tam in cantico quàm in intellectu Monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum, sonuit per orbem terrarum; & qui diuisi erant, congregati sunt in vnum.* Cùm tot bona ex Psalmorum vsu deriuari conspiciat hostis crudelis nostri generis, variis artibus & astibus studet ab Hymnodia homines retrahere.

Ex Psalmis
quot fru-
ctus hau-
riantur.

Psal. 36.

D. Aug. in
Psal. 132.

Plurimi ad
vitam Mo-
nasticam
conuersi ex
Psalmorum
verbis.

*Variis arti-
bus studet
diabolus à
chori usu
auertere.*

Alios nititur impedire, ne chorum adeant seu prætextu occupationum aut studiorum, quæ ad proximi maius beneficium diriguntur; aut ad uersæ valetudinis, qua premuntur, siue capiti siue stomachi; alios sub specie dignitatis quam obtinent, quasi non deceat constitutos in dignitate frequentia chori. Si artes & astutiæ istæ non proficiunt, quia non pauci inueniuntur generosi animi, qui tentatoris non audiunt suggestiones hominum opera vitur diabolus, eliciens ab eis quando ex ore virorum alioqui grauium opportuno tempore passionis verba, chori dignitatem ac præstantiam minuunt, ut illorum testimonio fortius oppugnet, imò expugnet delicatiores conscientias. Si neque hac arte obtinet intentum, audacior effectus, ut paulò antè dicebamus, chorum ingredi non veretur, miscet se cum Angelis bonis qui orantibus adsunt: ut sicut isti conueniunt & opera Hymnodiam tuentur; ita ille omnino in choro conetur ab Hymnodia extrahere, suggerens causas exeundi opportunas siue necessitatis seu commoditatis, aut alterius apparentis utilitatis hoc modo non paucos decipere solet. Quod ut aliquando omnibus notum esset, voluit miserari Deus tempore sancti Patris Benedicti, ad nostram informationem, miro exemplo euulgari. Accidit quòd Monachus quidam nomine Iustus à chore mone deciperetur hac arte: nam semper, quocumque sub finem Hymnodia vacandum erat orationem statim arrepta aliqua occasione, exhibat è choro quòd iterùm ac sæpè frequentabat, nec admonitus à Præfato desistere valuit. Accessit tandem etiam admonitio sancti Patris Benedicti, sed nihil profuit. Quadam tandem die, dum ille Monachus

*Diaboli ars
aliquando
detecta.*

Monachus exiret, aperuit Deus oculos sancti Benedicti, qui vidit quemdam puerulum sub Æthiopsis forma nigrum, qui per extremitatem cuculli Monachum trahens, è choro educebat. Communicavit rem hanc diuus Benedictus Monasterij Præfecto & discipulo suo Mauro, qui simul oratione facta, à Deo postulabant se quoque dignos reddi hac visione, vt deinde Monacho tentationem possent aperire. Post biduum Maurus vnà cum Patre suo Benedicto eandem visionem habuerunt, dum Monachus ille è choro exire studeret. Ad illum accedens Benedictus virga eum percussit, ea intentione, vt diabolum percuteret, & ex illa die, ait sanctus Gregorius, qui historiam describit, nil persuasione vltèriùs à nigro iam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permanfit. Quoties inuisibilis demon osor Hymnodia extrahit Religiosos & Religiosas, & Canonicos & Capellanos, è choro sub titulo aliquo honesto necessitatis aut utilitatis, aut etiam, quod peius est, curiositatis; qui si videretur à nobis, vt videbatur à sanctis viris, nihil obtineret. Quos nequit malignus è choro euocare, studet variis cogitationibus & euagationibus à rebus cantatis diuertere; ab istis risum, ab illis confabulationes, à multis tedium, ab aliis circumspectiendi leuitatem obtinere, quemadmodum in Operis istius progressu detegere non omitemus.

Qui ista nouerunt, nituntur feruentiùs colere Hymnodia vsu, vt diabolum magis contristent; nam, vt verè & scitè assererat Abbas Marcellus, *Nihil ita utile est nobis, nilque magis demones contristat quàm Psalmodia.* cui concinit do-

Diabolus
extrahit è
choro psal-
lentes.

S. Gregor.
l. 2. Dialog.
cap. 4.

Abb. Mar-
cel. in Prato
spir. c. 151.

D. Basilii
Proem. in
Psal.
Psalmodia
vsus con-
tristat dia-
bolum.

Psal. 69.

Cassianus
Collat. 10.
cap. 16.

Virtutes
versiculi,
Deus in
adiutorium
meum in-
tende.

ctrina sancti Basilij dicentis: *Psalmus est propo-
gandis demonibus & depellendis quoddam amule-
tum, Angelica tutela conciliator.* Imò studebant
viri perfectiores eligere ex Psalmis versiculos
liquos, qui ad contristandos demones videren-
tur aptiores, eosque frequentabant. Celebris est
apud Aegyptios Monachos versiculus ille Dau-
dis, *Deus in adiutorium meum intende, Domine
ad adiuuandum me festina.* Qui versiculus cele-
brior redditus est ex vehementi hortatione Ab-
batis Cassiani, qui ex instituto illum prædicabat
& suadebat tamquam validissimum remedium
ad omnem necessitatem, & præcipuum aduersus
diaboli tentationes & insidias præsidium. Et
namque versiculus, ait Cassianus, non immerito
toto est excerptus instrumento; recepit enim omni-
a affectus quicumque inferri possunt humana natura
& ad omnem statum atque vniuersos incursumus pro-
prios satis & competenter aptatur. Habet sequens
aduersus vniuersa discrimina inuocationem. De-
bet humilitatem pia confessionis, habet sollicitu-
dinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet con-
siderationem fragilitatis suae, exauditionis fiducia
confidentiam praesentis semperque adstantis pro-
tektoris; qui enim iugiter suum inuocat protectorem,
certus est eum esse semper praesentem. Habet timorem
& caritatis ardorem, habet insidiarum contem-
tionem inimicorumque formidinem, quibus prop-
ter se non posse sine sui defensoris auxilio liberari. Et
versiculus omnibus infestatione demonum laboran-
tibus inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis
lorica ac munitissimus clypeus. Plura alia, tum pro
eum vtilia, addit Cassianus in laudem & com-
mendationem.

miendationem huius versiculi, ut suadeat illius frequentationem continuam in omni loco, opere, tempore, occasione, donec, ob eius continuam exercitationem, etiam dormientes eum cantare & recitare consuecamus, afferens eam rationem; quia omnes in quolibet statu, non tantum in re-

*Omnes
egent diui-
no auxilio.*

Sanctus Antonius Abbas, qui in iisdem Ægypti desertis vitam Angelicam ducebat, quiq; dæmonibus factus est terribilis, maximè colebat & frequens in ore habebat versiculum illum ex Psalmo 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius; & fugiant qui oderunt eum à facie eius:* & in huius vsu plurimum confidebat, quia nouerat magnam ex illo contristationem dæmonibus resultare, imò & damnum; non enim, uti pluries fateri coacti sunt dæmones, ferre horum verborum vim valent. Elegans historia ad hanc rem describitur à sancto Petro Damiani de quadam Sanctimoniali, quæ amita fuit Leonis Papæ IX. (à quo hoc factum se accepisse fatetur Petrus.) Hæc Religiosa quadam nocte surgens ad Hymnodiam, comitem suam graui oppressam somno excitare nequibat; post binam aut ternam vocationem, siue ex ira siue ex ioco, saltem minus cauta dixit: *Surge diabole, & veni.* Mira res, statim adfuit dæmon, sub forma sociæ vocatæ sequens Monialem ad locum Oratorij, & vnà cum illa psallens reddebat versiculos mutuos. Cùm ventum esset ad Psalmi 67. recitationem, tunc ementita sociæ, quæ erat verus diabolus, nunquam potuit illa verba proferre. Quamobrem cognitus falsus hostis, signoque Crucis à vera

*Psalmorum
versus fa-
miliaris
S. Antonio.*

*Diabolus
quosdam
versiculos
valdè ti-
met.*

*D. Petrus
Damianus
lib. 6. Epist.*

*Monialis
casus in-
signis cum
diabolo.*

Moniali pulsus euanuit. Credidit fortassis ille diabolus hac sua apparitione tantum iniicere timorem Moniali, imò & ceteris, quæ euentum postea rescuissent, vt numquam in posterum auderent ad nocturnas assurgere laudes; sed misericors Deus, qui, vt puniret incautum modum loquendi illius Monialis, permisit hoc terribile factum: disposuit tandem, vt vis Psalmorum dignosceretur, & diabolus, qui alios illudens putabat, illusus discederet atque confusus, videns se à timida muliere effugatum. Quicumque desiderat contristare, imò & torquere demones Hymnodiam studiosus frequentet, diligat, & que exerceat, nec ab illa se auocare villo vniquam prætextu, nisi necessitate vera ac magna impetente, patiat. Sicut demones contristabit, & Angelos sanctos & Deum lætitia cumulabit, iuxta illam D. Augustini sententiam: *Psalmus demones fugat, Angelos ad adiutorium inuitat.*

D. August.
Prolog. in
Psal.

ta illam D. Augustini sententiam: *Psalmus demones fugat, Angelos ad adiutorium inuitat.*

CAPVT XVII.

*Hymnodia audientium animum variis
piis recreat affectibus.*

NEMO perfectè cognoscere ac comprehendere potest omnes pios affectus, qui Hymnodia vsu ritè in Ecclesia expleto gignuntur in animis audientium: illi aliquid nouerunt qui digni aliquando effecti sunt eos experiri, quibus aliqua ad nostram informationem tradita sunt. Referam hoc loco præcipuos affectus à sanctis viris euulgatos. In primis ab Angelico Aquinate audiemus magnam ex Hymnodia vsu gigni

in audientibus reuerentiã & amorem erga Deum: differens enim de causis, cur Deus sit ab homi-
 ne ore laudandus, ostendit non ideò adhibendas
 esse laudes, vt aperiamus Deo nostram erga il-
 lum intentionem & studium; quasi ille nequeat
 aliter nos cognoscere, nec nostram mentem pe-
 netrare, cùm sit inspector cordium, & scrutator
 renum, & profunda hominis penetret. Qui ali-
 ter sentiret, idololatricam saperet falsitatem, ni-
 hilo dissimilem ab illorum sacerdotum seu sacri-
 legorum sensu, qui à sancto Elia, vero Dei Pro-
 pheta, irridebantur, dum de vero Deo adorando
 esset contentio, quibus aiebat sanctus Propheta:
Clamate voce maiore, Deus enim est, & forsitan
loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut
certè dormit, vt excitetur. Hisce clamoribus non
 eget Deus, vt cognoscat humani cordis studia &
 voluntates, omnia enim nuda sunt & aperta
 oculis Dei; sed adhibendas esse laudes vocales
 ait diuus Thomas, vt nos ipsos & alios audientes
 ad Dei reuerentiam, amorem timoremque exci-
 temus. Ea est humani animi conditio, vt alicu-
 ius Herois insignia audiens gesta & virtutes, ex-
 citetur ad eum colendum & suspiciendum, &
 magis diligendum. Hinc Psaltes inter alios ef-
 fectus, quos ex suorum Hymnorum vsu sibi pro-
 mittit, recenset audientium excitationem & pro-
 uocationem ad lætitiã, & æmulationem lauda-
 tionis: *Benedicam Dominum in omni tempore, sem-*
per laus eius in ore meo: audiant mansueti, & læ-
tentur. Magnificate Dominum mecum, & exalte-
mus nomen eius in idipsum.

Hæc affectuum prouocatio maiore expletur
 suauitate propter Psalmorum metricam compo-
 sitionem.

2.2.9.91.
art.1.

Deus scruta-
tor est
cordium.

3.Reg.18.

Deus cur
sit ore lau-
dandus.

Psal.33.

Psalmorum
forma est
metrica.

sitionem. Nouimus experientia, humanos affectus magis moueri ex lectione Poëtarum & carminum quàm solutæ orationis, quamuis eloquentissimæ: nam metri suauitas magnam obtinet vim in occupandis humanis affectibus. Quòd autem Psalmi fuerint metro compositi à Dauide, consensus iam est omnium Doctorum sententia. Vnde

D. Hieron. diuus Hieronymus scribens ad Paulinum, non
Epist. 103. dubitat appellare Dauidem Ecclesiæ nostræ Flaccum, Pindarum, Alcæum, Catullum, Serenum & Simonidem: *Dauid Simonides noster, Pindarus, Alcæus, Flaccus quoque, Catullus & Serenus Christum lyra personat.* Ea est Dei suauitas, ut omnia velit suauitate speciali expleri, quod precipuè disposuit in ordinatione Psalmorum, quæ sicut ad mortalium tum utilitatem tum iucunditatem sunt directi; ita sub metrica forma nobis illos exhiberi, ut eorum sensus, siue ad laudationem siue ad morum obiurgationem apti maiori suauitate in animis audientium instilletur. Id nouerunt etiam fidei nostræ infensissimi hostes, à quibus libet testimonium accipere, etiam ipsi huius veritatis sunt iudices. Recolamus itaque Decretum illud Iuliani Apostatæ, quod uult inter alia, precationum alternatim, canentium formam transferendam ad suum paganismum, ut Deorum cultus magis magisque in animis populorum aueretur. Viderat veri Dei impiissimus hostis, quantam ex Christiana Hymnodia haurirent populi reuerentiam erga Deum, ideò quam non poterat abolere, saltem nifus emulari, veriùs dixerim profanare. Ex quo Decreto iustam desumit occasionem Cardinalis Baronius, rerum Ecclesiasticarum luculentissimus

Psalmorum lectio ad hominum est utilitas & iucunditas instituta.

Psalmodia nostra à paganis usurpata.

Baronius anno 352.

Scriptor

Scriptor, inferendi hoc insigne corollarium:
*Hinc perspicitur, quàm deteriores Iuliano Apo-
 stata exhibeant se recentiores Apostata (addamus
 nos, & quicumque communis Psalmodiæ im-
 pugnatores) dum antiquos Ecclesiæ mores contem-
 nunt, & subsannare audent ea, quæ inuidi oculis
 hostis visa sunt pulcherrima, atque omni acceptione
 dignissima.* Huius Decreti meminere quotquot Sozomen.
 sunt in Ecclesia Dei Scriptores. Sed quid Iulia-
 num profero, qui minister & seruus erat diaboli
 protoapostata? cum ipsemet dux impiorum dia-
 bolus non solum nouerit, sed coactus declara-
 uerit miram Hymnodicæ virtutem, dum Hymno-
 rum statuit vsurpare testimonia, vt maiori aucto-
 ritate posset flectere ad suam intentionem animos
 à se tentatos. Expendere hoc loco non pigeat
 grauem illam tentationem, quam, putans om-
 nium iam antè adhibitarum vehementissimam ac
 validissimam, obtulit Christo Domino in deser-
 to. Cum malignus ac versutus hostis vidisset se
 nihil obtinuisse primis tentationibus, statuit tan-
 dem experiri Hymnorum Dauidicorum auctori-
 tatem & vim, quam nouerat quasi omnipotentem
 ad flectendos animos humanos, præsertim pie-
 tatis studiosos. Aggressus itaque Dominum no-
 strum, vt in præsumptionis culpam pertraheret,
 proposuit Psalmum 90. qui cum totus sit in de-
 scribenda Dei erga suos cura, & in declaranda se-
 curitate mirabili qua gaudent degentes sub diui-
 na fiducia, & in enarrandis benedictionibus qui-
 bus cumulantur omnes Deo fidentes; tandem
 concludit, omne bonum esse à Deo sperandum
 tum protectionis tum felicitatis. Ex hoc Psalmo
 tentator astutus protulit versiculum illum: *An-*
gelis

lib. 5. c. 15.

Trip. lib. 6.

cap. 29.

Nicephor.

l. 10. c. 21.

*Diabolus**vsurpat**Psalmos in**suis tenta-**tionibus.**Christus**Dominus**tentatus**in deserto**Psalmorum**auctorita-**te.**An- Psal. 90.**gelis*

gelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Hic modus tentandi sicut erat validior omnibus iam antea vsurpatis ad oppugnandum, ita facillimè expugnasset animi arcem nisi Deus fuisset qui oppugnabatur.

Verùm omittamus hostium testimonia, quantumuis validissima & opportuna ad rem, cum non defint argumenta planiora, imò clariora, ex nostris, quæ magis suadebunt quod intendimus. Habemus Patres, qui prioribus sæculis, habemus sanctos viros, qui non longè à diebus nostris præcesserunt, ab iis audiemus vberes fructus Hymnodia in eorum animis productos. Primum

Lib. 9. Confess. cap. 4.

audiatur diuus Augustinus, qui variis tum eorum circa fidem, tum vitiis circa mores per multos annos innexus, sicut ope diuina ab vtriusque feliciter euasit; ita vitæ suæ cursum describit & modum suæ conuersionis orbi toti declarat

Ex Psalmorum usu quanta hauserit bona D. Augustinus.

ostendit quanta ex Hymnodia hauserit bonosque fructus & commotiones senserit. Pauca eius selectiora verba ad hanc rem subiiciam, ne longus nimis in re tam aperta sim. Testatur in primis, se ex Psalmorum recitatione & cantu in diuinum exarsisse amorem tanta veneratione, vt etiam conciperet spem videndi eundem affectus in aliis hominibus, si totum orbem potuisset habere auditorem dum recitaret: *Quæ tibi voces dabam in Psalmis illis, & quomodo inflammabar ex eis, & accendebar eos recitantes, posse, toto orbe terrarum aduersus typhum gentium humani? & tamen toto orbe cantantur, & non qui se abscondit à calore tuo.* Addit deinde alios miros effectus in se commotos tum timoris, tum spei, tum exultationis in Deum ex auditi-

vnus versiculi in Psalmo 4. recitati: *Filij hominum usquequo graui corde? ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* Confidit etiam, quòd iidem affectus in aliis gignerentur, si huic dulcissimo Dauidis seu Dei proloquio attende-
 rent: *Ego tamdiu nesciens vanitatem dilexi, & mendacium quesivi; & ideò audiui, & contremui, quoniam talibus dicitur, qualem me fuisse reminiscebar. In phantasmatibus enim, quas pro veritate tenebam, vanitas erat & mendacium, & insonni multa grauius & fortiter in dolore recordationis mea. Que utinam audissent, qui adhuc diligunt vanitatem, & querunt mendacium, fortè conturbarentur, & euouissent illud.* Quos affectus in se experiebatur Augustinus, & quos, ad nostram eruditionem & sui ipsius meritum, voluit omnibus confiteri, liberè asserit posse ab omni humano corde sentiri. A cuius sensu non discrepat Cassiodorus, pronuntians, in Psalmodum vfu
 adesse medicinam opportunè paratam ad omnes
 animi languores curandos & affectus promouen-
 dos: *Loquamur, ait, de illo è calo psalterio, quod vir toto orbe cantabilis ita modulatum pro anima sospitate composuit, ut his Hymnis & mentis vulnera sanarentur, & diuinitatis singularis gratia conquiratur.*

De sancto Ludouico Francorum Rege referunt D. Ludouici Historiæ, quòd sicut assiduus erat in diuinis Officijs quæ in Ecclesia explebantur à ministris Ecclesiasticis, ita varios in se experiebatur pios affectus, hauriens ex illis opportuna documenta ad rectam sui regni administrationem; quemadmodum non semel ostendit dum interesset Psalmodia. Quadam die audiens verba illa, *Beati, qui* Psal. 105,
custodiunt

Cassiodor.
 lib. 2. Var.
 Epist. 40.

Effectus erga
 Psalmodiam.

custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore, statim iussit accersiri quemdam facinorosum insignem, quem licet morte dignum, preces tamen Magnatum à mortis pœna absoluerat; tunc liberationis sententiam reuocauit, & Dauidis pronuntiatum obseruaret, faciens iudicium & iustitiam: nam audiens hæc verba cognouit, quod prius, vt morem gereret hominibus, iustitiam violasset & iudicium. Iterum dum iisdem Psalmis præsens adesset quidam familiaris ipsius Regis, putans opportunitatem loci & temporis fauere, animatus est ad veniam postulandam pro homicida qui de proximo erat adiudicandus; at sanctus vir sicut attentè verba Hymnorum audiebat, verborumq; sensum & doctrinã pretiosam studebat exequi, negare volens gratiam, vsurpauit eadem verba quæ tunc cantabantur in Ecclesia, *Feci iudicium & iustitiam*, clarans animi sui tum in Deum pietatem tum in sanctam iustitiam affectum. Dignum profecto sancto Principe responsum & studium.

Psal. 118.

D. Philippus Neri ad Psalmodiam frequentia.

Vt autem nostræ ætati propiùs accedamus sicuti eadem est Hymnodia in Ecclesia, ita videtur semper fructus & effectus ex ea oriri conspicitur in animis rectè dispositis. Virum profertur in presenti sæculo notum, qui non multis antè mortuus est, nempe Philippum Nerium, cuius virtutum & sanctitatis genere conspicuum, cuius memoria in benedictione semper erit. Hic certè sanctus vir, quia insignes illustrationes & pios affectus ex Hymnodia referebat, omni studio adesse conabatur Diuinorum recitationi in Templo sanctæ Mariæ supra Mineruam Romæ nullum vnquam diem passus vacuum ab hoc studio.

studio, ex quo magnum spiritualis incrementi
auxilium sibi prouenire cognoscebat, per multos
prosequens annos absque intermissione, donec
tādem à Deo vocatus est ad alios homines in san-
ctitate erudiendos, & dirigendos. Aliqui enim à

*Mulți eli-
guntur à
Deo ad a-
liorum uti-
litatem.*

Deo eliguntur ad plurimorum utilitatem; quem-
admodum Hymnographus destinatus à Deo vi-
detur, vt ferè omnium mortalium suis Hymnis
sit præcipuus dux ad virtutem & sanctitatem.

Hinc dicebat aliquando de se ipso: *Immisit in os*
meum canticum nouum, carmen Deo nostro. ecce
hîc narrat electionem suam felicem ad psallen-
dum in Dei honorem. Deinde describit fructum
in alios deriuandum ex suo cantu: *Videbunt mul-
ti, & timebunt, & sperabunt in Domino.* quasi di-
cat: Audientes cantum meum in Hymnis exci-
tabuntur ad varios pios affectus, timoris præfer-
tim & spei. Nec debet minui horum verborum

Psal. 39.

*Cantus ad
Scripturam
intelligen-
tiam oppor-
tunus.*

Ioan. 20.

sensus propter verbum *videbunt*, quia non dica-
tur *audient*: nam verbum *videndi* in sacris Scri-
pturis, ex Regula diui Augustini, pro omnibus
sensationibus vsurpari consuevit, vti disertè tra-
dit super illa verba Domini nostri, *Quia vidisti*

me Thoma, credidisti. Generalis quodammodo (ait
Augustinus) *sensus est visus, nam & per alios qua-
tuor sensus nominari solet, veluti cum dicimus, Au-
di, & vide quam benè sonet; olfac, & vide quam
benè oleat; gusta, & vide quam benè sapiat; tange,
& vide quam benè caleat.* Quam regulam, appo-
sitis Scripturæ sacræ sententiis, comprobat Au-

gustinus Tornicellus in suis Annalibus. Nam Exo-
di 20. dicitur, *Cunctus populus videbat voces; vbi
certè dicendum erat, audiebat.* Et Marci 15. di-
citur, *Vide in quantis te accusant; quod idem*

*Augustinus
Tornicellus
anno 4084.
num. 45.*

M

signi-

Lucæ 24.

significat ac si diceret, *Audi*. Imò hoc loquendi genere vsus est Dominus noster ad discipulos suos dicens: *Palpate, & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* vbi verbum *videndi* non potest aptius explicari quam *palpando sentite*. Quando igitur dicit Hymnographus, *Videbunt multi, & timebunt*, potest intelligi, quòd dum auditur in Ecclesiis, vbi ipsius decantantur Hymni, affectus plurimi semper, timoris saltem & spei, qui sunt veræ sanctitatis præcipua fundamenta & adiumenta, commouebuntur. Ad hanc rem afferebat D. Thomas loco nupè

Psal. 33.

citato alia Davidis verba his similia: *Semper in ore meo. en cantus sibi præscriptus. Audiant mansueti, & latentur. Magnificate Dominum mecum.* en effectus secuturi in piis auditoribus. Hos præuiderat sanctus Rex spiritu celesti, eosdemque nos re ipsa quotidie videmus nam Laicos conspicimus frequentiores ad eas Ecclesias, in quibus diuina perfoluuntur Officia in choro tum ante tum post conciones, siue mane siue à meridie habendas Festis diebus, quam ad eas in quibus conciones tantùm habentur sine vlla Psalmodia. Id puto ob hanc euenire præcipuam causam, nempe ob varios pietatis erga Deum affectus, quos ex Psalmorum cantu habent laici. Verè namque cantus Hymnorum del-

*Cantus
Psalmorum
preparat
animum ad
verbum
Dei au-
diendum.*

ponit ac præparat animum ad verbum Dei audiendũ; sicut verbum Dei excitat eundem animum ad laudes Dei nouas tum decantandas tum audiendas: mutuis enim officiis sibi deseruiunt duo ista munera, Hymnodia & concionis. Hinc omnes Regulares & sæculares Ecclesiæ concionem habentes à meridie Festorum dierũ, Vesperarum

rarum saltem admittunt cantum, quamuis aliis diebus nullam cum publica Hymnodia habeant consuetudinem. Præter iam enumeratos effectus & affectus, eliciuntur quoque ab Hymnorum cantu pio amor Dei & compunctio cordis, vti mox dicturi sumus in sequenti Capite.

CAPUT XVIII.

*Compunctionis amorisque lacrymas
prouocat Hymnodia.*

MAGNAM continent vim Dauidici Hymni ad lacrymas, tum audientium tum cantantium, modò ex compunctione modò ex amore commouendas & ciendas, propter vtriusque obiecti vehementia argumenta in Psalmis contenta.

Nam si ad prouocandos mortalium animos ad opera quælibet, siue bona siue mala, magnam semper obtinuit vim exemplum, præsertim Heroum & Principum, quemadmodum omnes tum sacrae tum profanae litteræ docuerunt;

Scilicet in vulgus manant exempla regentum, Lucanus.
ait ille.

— *Non sic inflectere sensus*

Humanos edicta valent quàm vita regentis,
dixit alter Poëta. *Et qualis est rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea,* docuit Auctor Ecclesiastici. Mirum nulli videbitur, si Hymnodia rectum vsum, validissimam dicamus obtinere vim lacrymas ciendi & compunctionem à quolibet lapideo corde, cum verba omnium Hymnorum dictata noscamus à Rege maximo, qui peccata sua deflens, misericordiam Dei exorabat. Si de

M 2

Esdra,

Esdra, qui erat in populo maximæ auctoritatis vir, proditum est à sacra Historia, quòd solis suis lacrymis à populo visis, quamuis nullum adiecisset verbum, potuit tantum commouere fletum in omnibus adstantibus, vt ij simul cum illo peccata deslentes pœnitentiam egerint. (primò enim

1. Esdræ 9. describitur fletus & mœror Esdræ, postquam audiuit grauiâ peccata à populo fidei perpetrata. *Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barba, & sedi mœrens.* deinde describitur conuictus omnium Principum & popularium, qui uidentes Esdrâ sic amarè deslentem, pariter uerunt, & delicta abiurarunt. vbi Glossa ordinat

Lacryman-
tia appositè admonet: *Nota quantum exemplis uisi exemplum lacrymas ciet.* *Doctorum inuent; nihil scribitur Esdras locutus esse, sed tantum audito scelere lacrymasse, & turbam ad se fidelium non vociferando sed lacrymans traxisse;* quis audiens uidentem tantum Regem in suis Hymnis ferè iugiter deslentem ob delicta semel ex fragilitate commissâ, poterit cohibere lacrymas, & siccis oculis aut audire aut canere lacrymas istas? Tanta (testatur ipse) lacrymarum copia perfundebatur Dauid, vt lectus, in quacumque iacens Hymnos sæpè decantabat, natate possideretur, saltem dilutus conspiceretur: *Lacrymas per singulas noctes lectum meum, lacrymis meo stratum meum rigabo; seu, vt ex Hebræo fonte legi potest, Natate faciam lectum meum, stratum meum liquefaciam.* Tanto exarserat Dauid odio in peccata, vt lacrymis uellet ea delere, quæ æstu concupiscentiæ & passionis feruore perpetrarat.

Effusio lacrymarum quanta in Dauide. Psal. 6.

Solent alij potentissimi Principes, ad propriæ munificentiæ ostentationem, siue etiam ad ornatum

rum & commoditatem vrbs vbi resident, maximis impensis deducere per cuniculos subterraneos, siue etiam per arcus eminentes, à collibus & montibus amplos fontes potabilium aquarum: at pius Rex Dauid omne studium & operam posuit, vt à proprio corde per oculos, quasi aptos canales, deduceret iuges fontes lacrymarum, qui numquam per dies nec per noctes deficere possent, ad vtilitatem & salutem animæ propriæ. quod de se ipso testatur dicens: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Sicut lacrymarum vim nouerat & expertus non semel fuerat Dauid, ita iugem earum exitum exoptabat, & omni studio educere conabatur: quod vt facilius assequeretur, aliquando sibi ipsi lacrymarum eximia apud Deum merita proponebat, earumque celebrabat insignia encomia. dixit loquens cum Deo: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* quibus verbis nil pretiosius dicere poterat in commendationem lacrymarum. Ex his verbis intelligentes mortales vim lacrymarum, spem concipiunt veniæ; quia vident peccatorum pœnitentium lacrymas ibi positas à Deo, vbi prius posita erant iniquitates. Ponebat Deus lacrymas pœnitentium in conspectu suo, ait sanctus vir Macarius, quia in illis valdè complacet & delectatur, quasi tot margaritis pretiosis ex viscerum ardore progenitis: imò, si licet dicere, illis Deus tamquam gemmis seipsum exornat, more mulierum curiosarum caput & cinnos exornantium. Licebit certè dicere, quia ducem habemus sacrum Canticorum Textum dicentem nomine Dei placidè alloquentis peccatorem compunctum: *Caput meum plenum est ro-*

Davidis studium circa lacrymarum prouocationem.

Psal. 118.

Psal. 55.

Lacrymarum merita apud Deum.

Deus lacrymis nostris exornat se quasi gemmis.

Cantic. 5.

re, & cincinni mei guttis noctium. vbi Paraphrases
 exponit hoc modo: *Capilli capitis mei pleni sunt
 lacrymis tuis, sicut vir, cuius capilli capitis tinguntur
 de rore celi; & cincinnus casariei mee repletus
 est guttis oculorum tuorum, sicut vir, cuius cinnus
 casariei plenus est guttis pluuia qua descendit
 in nocte.* Certi redduntur pœnitentes ex Davidicis
 verbis, quòd Deus excipit lacrymas eorum quas
 gemmas & margaritas, quas semper conspectu
 suo vult præsentes, vt in eis voluptatum corda
 expleat. cui assertioni concinit Christi Domini
 assertum, quando docuit, Angelos in caelo
 stantes lætitia perfundi eximia ex lacrymis pœ-
 nitentium: *Dico vobis, gaudium erit in
 celo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Hoc
 gaudium Angelorum ortum ducit ex eodem fonte,
 nimirum ex lacrymis positis à Deo in consp-
 ectu suo. Sicut exoptant spiritus Angelici mor-
 talem æternam salutem; ita videntes horum lacry-
 mas à Deo æstimari, lætantur & exultant. Certi
 sunt Angeli sancti, quòd videns Deus pœnitentium
 lacrymas, citissimè commouebitur ad misericordiam.
 Non videri possunt lacrymæ debilitium absque Dei
 videntis commiseratione. Magna est vis lacrymarum
 ad misericordiam commouendam, sicut & acutè dixit Poëta:

*Angeli pœnitentium
 lacrymis delectantur.*

Lucæ 15.

*Lacryma vim habent
 vocis.*
 Thren. 2.

Interdum lacrymæ pondera vocis habent.
 quod & grauius dictum fuerat à Propheta Ieremia,
 dum ad fletum compunctionis hortaretur
 populum Israëlitarum: *Deduc quasi torrentem lacrymas
 per diem & noctem; non des requiem tua
 neque taceat pupilla oculi tui.* Per quæ verba
 lacrymæ, dum tribuitur vox pupillæ quæ lacrymarum
 ostenditur earum vis ad animum commouendum.

dum, ac si maxima declamarent eloquentia.

Magnam lacrymarum felicitatem cecinit Dauid, cum dixit: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Psal. 55.

Cum igitur in suis Psalmis modò videatur Dauid iugiter deflere, exitusque aquarum deducere, & lectum suum lacrymis conspergere, imò abluere, modò lacrymarum vim celebrare; qui ex animo ista attendunt, cohibere non valent cursum fletus. Testem produco omni exceptione maiorem, qui non de aliis, sed de se ipso proloquatur.

Confitetur diuus Augustinus qualem in se ipso esset expertus effectum Psalmorum, quando in initiis suæ ad Deum conuersionis Hymnodicæ attentus adstabat in Templis, dicens vberes

Lacrymatur D. Augustinus in Psalmis.

tum ex corde tum ex oculis se emisisse lacrymas,

ortas ex Psalmorum cantu audito. *Quantum fle-*

D. August. Confess. lib 9. c. 6.

ui in Hymnis & canticis tuis, suauesonantis Eccle-

sia tua vocibus commotus? acriter voces illæ influe-

bant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor-

meum, & ex ea astuabatur inde affectus pietatis,

& currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.

Benè fuit Augustino cum lacrymis suis; quia felicitas cordis humani ex lacrymis & compunctione ortum suum ducit. Sicut qui peccator flere

Peccata non flere, est indicium reprobationis.

non nouit peccata sua, timoris vehementem habet causam, ne in peccatis moriatur. Nam inter

seuiores minas cuidam populo per Prophetam

Ezechielem à Deo immittas, illa reputari debet

acerbior, quæ Deus protestatur eos non plancturos,

sed in peccatis morituros: *Non plangetis, ne-*

Ezech. 24.

que flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris.

Ratio, cur multi in Hymnodiis aut audiendis

aut etiam exercendis compunctionis lacrymas

non sentiant, optimè detegitur à diuo Bernardo

non sentiant, optimè detegitur à diuo Bernardo

Lacryma
compun-
ctionis non
ab omnibus
haberi pos-
sunt.

in propria persona nostras misérias euulgáte. So-
pè, ait, *ad sacrum mysterium vocem meam fregi,*
dulcius cantarem, & magis delectabar in vocis mo-
dulatione quàm in cordis compunçãoe; Deus vero
cui non absconditur quidquid illicitum perpetratur
non querit vocis lenitatem, sed cordis puritatem.

En causa nostræ insensibilitatis, nimirum in-
uertentia ad ea quæ audimus aut cantamus; nos
enim cor afficitur iis quæ os pronuntiat. Cuius
nostra priuamur eo bono, quod posset reddere
animas nostras felices, imò terque quaterque

Lacryma
extinguunt
ignem Pur-
gatorij
D. Bernar.
Serm. in
verba Iob.
In sex tri-
bulat.

lices; nam si compunçãois lacrymas sentimus,
nullus post hanc vitam foret necessarius
ignis expiatorius, quemadmodum testatur
diuus Bernardus dicens: *Fortè enim non reperitur*
ignis exurens, quod interim fluens lacryma delin-
set. Verùm eheu! nos miseròs flere nescimus
quando flenda commisimus, etiamsi verba
exempla ad lacrymas prouocantia habeamus,
cùm tamen lacrymas paratas vnusquisque habet

Lacryma
facile cien-
tur ob ia-
cturas tem-
porales.

ob temporalium rerum aduersum euentum. Si
facile eripitur parentibus; si dolor vehemens ca-
pit, dentium, aut alterius membri vrgeat
quem; si honoris iactura immineat alteri, nullus
fletum valet cohibere. De multis dici verè

Plutarch. in
Annibale.

rit, quod aliquando de suis ciuibus Carthagi-
nensibus Annibal pronuntiauit. Postquam enim
Carthago à Romanis deuicta variis fuerat tribu-
tis subiecta, dies primæ solutionis faciendæ ve-
nit, magnusque tunc fletus factus est omnium
ciuium, quia vnusquisque ad ratam tenebatur
pensionis. Non potuit Annibal risum effusum
continere, licet adessent Primarij viri ciuitatis
quorum vnus eum reprehendit, quasi de re loco
causa

causæ & tempori parum opportuna : at ille subridens respondit, se non ridere ex latitia, sed potiùs ex irrisione, quia videret lacrymas hominum importunas ; plorabant enim leuissimum damnatum priuatum, cùm antea nullus lacrymarum sensum ostenderit, quãdo mala grauissima publica ingruerant, quando scilicet publicæ classes deiectæ, quando exercitus trucidati, quando arma capta spoliaque amplissima detracta audiebantur, & cernebantur. Multò maiori fundamento irridebimur nos à Cælicolis, quando videbunt in oculis nostris lacrymarum copiam ob temporales iacturas, & siccis oculis in peccatis iacentes audire Regem maximum flentem, lacrymarum vim celebrantem, & ad lacrymas prouocantem.

Qui nouerunt compunctionis lacrymas educere, paulatim eleuantur à Deo ad dulcissimas lacrymas amantium Deum. Non enim ob peccata tantummodò emittuntur lacrymæ de corde hominum, sed dulces etiam lacrymæ inueniuntur diligentium Deum. Amanti Deum ex corde omnis Dei sui recordatio commouet viscera, & præ dulcedine liquefacta anima in lacrymas erumpit, iuxta illud pronuntiatum animæ diligentis Deum in Canticis : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est.* Veri amantes vix aut legunt aut audiunt ex Psalmis celebrari siue misericordiam, siue amorem, siue benignitatem, siue suauitatem, siue prouidentiam, siue etiam nomen solum Dei, quin statim in lacrymas resoluantur. De Iuliano Anachoreta refert sanctus Ephræm, quòd tantam acquisierit facilitatem ad lacrymas ob extremum amorem in Deum, ut ad solius nominis Dei siue visi, siue lecti siue auditi recordationem,

Lacryma diligentium Deum dulces.

Cantic. 5.

Lacryma Iuliani Anachoreta quanta.

maxima statim copia lacrymarum perfunderet.
 Cùm quadam die incidisset sanctus Ephraem
 Codicem sacrum & in librum Psalterij, quos
 habebat Iulianus, vidissetque nominum omnium
 Dei, Domini, Iesu, Christi, Saluatoris litura
 accersito Iuliano sciscitatus est, quis ea corrump-
 set nomina. Respondit Iulianus, sicut fornicatrix
 mulier ad Dominum Saluatorem accessit,
 lacrymis pedes eius rigabat; sic ego ubique
 nomen Dei mei scriptum reperio, lacrymis
 re cogor, vt aliquando merear ab eius voce
 re, Vade in pace. O dulces lacrymas omni
 saeculari cariores & gratiores! de istis veniunt
 illa encomia à diuo Chrysofostomo pronuntia-
 quòd martyrij meritum adæquant; vt enim
 mulant animam caelestibus meritis, ita
 eminentiam æmulantur. *Quid valeant lacry-*

*Lacryma
 diligentium
 Deum æ-
 mulantur
 martyrij
 meritum.
 D. Chryf.
 Homil. 2.
 in Psal. 50.*

Lucæ 7.

Psal. 106.

(ait D. Chrysofostomus) *attende diligentius. Quod
 Martyribus maius, qui animam suam ponunt
 amico suo? grandis gloria Martyrum. Martyri
 fundunt sanguinem, peccatores effundunt lacrymas.
 meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontem
 crymarum profudit, & deleuit peccata sua. O
 vim lacrymarum! Felices qui flere digni
 sicut flere solebat Dauid; nam tales lacry-
 sum gehennæ incendium extinguere non
 imò & flammam amoris accendere & nutrire
 gnæ sunt, vnde audita est vox illa in laudem
 mantis desilentis; *Quoniam dilexit multum. Qui
 multum diligit, multas lacrymas emittere videtur.
 qui nihil diligit, saltem compunctionis fletum
 studeat acquirere; ne de nobis illud dici que-
 ratur in solitudine in iniquo; eò quòd beati**

beamus cor verè aridum & oculos prorsus siccos sine aqua. Quantò quisque sanctior est, verbis concludam diui Augustini, & sancti desiderij plenior, tantò sit eius in orando fletus vberior; dulciores siquidem erunt hæ lacrymæ quàm gaudia maiora theatrorum. Oremus Deum nostrum, vt psallentibus nobis & audientibus omnibus, venam lacrymarum per suam immensam benignitatem aliquando aperire dignetur; vt tandem mereamur inter veros amantes, vel saltem pœnitentes, annumerari.

CAPVT XIX.

Hymnodia misericordiam Dei conciliat.

TANTA est apud Deum Hymnodia ritè expletæ vis & auctoritas, vt eius voluntatem, quamuis iuste auersam, ad se trahat atque conuertat, iram illius placatam reddens, misericordiam amoremque sibi concilians. Non potest Deus audire voces clamantium & inuocantium se, Deum suauem, benignum, misericordem & piuum, vti in Psalmis inuocatur, quin statim exerceat effectus & signa beneuolentiæ, suauitatis, benignitatis, misericordiæ & pietatis. Insignior Dei *Misericordia* conditio, qua magis præ ceteris attributis suis *diâ gloriatur Deus.* gloriatur, est misericordia; & Paulus eam in se ipso largissimè expertus, dum loqueretur de illius necessitate ad peccatorum salutem, nominare potiùs voluit titulo gloriæ quàm gratiæ aut misericordiæ, dicens: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Rom. 3. vbi pro gloria Dei intelligere voluit gratiam & misericordiam Dei, aiunt omnes sancti

D. Hieron.
lib. 6. in
Isaiam.

D. August.
lib. 1. de
Pec. merit.

Sap. 11.

*Misericor-
dia diuina
beneficia in
peccatores.*

*Misericor-
dia diuina
valdè pra-
dicatur à
Dauidè.*

sancti Patres; quorum aliqui, sensum porius tendentes quam verba, legunt, *gratia Dei*. Verum gloria est misericordia & gratia ob multas causas, tum quia per hanc misericordiam & gratiam multi peccatores consequuntur gloriam; tum quia per hanc magis gloriosus ostenditur Deus erga peccatores quam in ceteris aliis potentiae operationibus, quamuis infinitis, quae admodum laeta canit & celebrat Ecclesia dicens *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo misericorditer & miserando manifestas*. Quod elogium dicitur Ecclesia ab Auctore Sapientiae, qui coniungit potentiam cum misericordia, & vtriusque reus effectus: *Misereris omnium Domine, quia omnipotens es, in potentiae & misericordiae connexione, dissimulas peccata hominum propter poenitentiam*. ecce effectus huius omnipotentis misericordiae quia per hanc sustinetur peccator, ne à peccati pondere demergatur in aeternam perditionem, toleratur, ut tempus & spatium possideat poenitentiae. Haec misericordia dulciter praevent peccatores, inuitans & adiuuans ad poenitentiam. Sicut Deus gloriosior ostenditur per hanc misericordiam; ita facilis eam concedit indulgentiam. Hinc inuocatur & colitur, quemadmodum Dauidicis Hymnis perfecte expletur. Nusquam magnificentior est sermo de diuina misericordia; nullibi tam frequenter aut nominatur aut celebratur misericordia; nullibi tanta fiducia inuocatur misericordia quam in Dauidicis Hymnis: in quibus appellatur sapientissime Deus suavis, benignus, misericors, miserator, patiens, longanimis, immensum multum misericors, siue multae misericordiae.

ue etiam magnæ misericordiæ; in his prædicantur opera misericordiæ, & extolluntur super omnia opera Dei. Aliquando audet Dauid, & pronuntiat tantam esse magnitudinem misericordiæ, vt nequeat à maxima ira impediri aut limitibus circumscribi: *Numquid obliuiscetur misereri Deus*, Psal. 76. *aut continebit in ira sua misericordias suas?* Vbi, si *Misericordia vis præualeat ira.* libet expendere modum loquendi, non vacare mysterio comperiemus vocem illam in numero multitudinis, *miser cordias*, cum *ira* in numero singulari proferatur; quasi non solum viribus præualeat misericordia iræ, sed etiam numero & multitudine. Quæ consideratio vera est quantum ad effectus; multò enim plures sunt misericordiæ effectus quàm iræ. Ideò illa non potest ab ista *Misericordia Dei etiam in inferno elucet.* aut impediri aut penitus absorberi, cum etiam in inferno, à quo misericordia videtur prorsus elongata, & vbi ira videtur suam exercere auctoritatem, non excludatur nihilominus omnis misericordiæ effectus; nam pœnæ ipsæ infliguntur citra condignum, vt asserunt omnes Theologi. At ira non semel à misericordia penitus resoluitur, quemadmodum celebrauit Dauid dicens: *Mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tue.* Ad quam rem facit elegans meditatio diui Ambrosij super verba Dauidis, *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur,* D. Ambrosius Orat. de Obitu Theodos. Psal. 114. considerans bis nominari misericordiam, & semel tantum iustitiam, & hanc in medio esse positam vtriusque nominationis; quasi ira remaneat inclusa & circumscripta intra septa misericordiæ. Magna sunt quæ Dauid suis Hymnis celebrat & prædicat in laudem diuinæ misericordiæ, vt ob hanc rem, quasi dixerim, cogatur Deus suam exercere

exercere misericordiam erga implorantes illas
huiusmodi Hymnis.

*Misericor-
dia Dei fa-
cilius obti-
netur Psal-
mis quàm
Sacrificiis.
Psal. 50.*

David ipse potiùs Hymnis quàm vitulorum
sacrificiis & victimis sibi ipsi misericordiam
Dei magnam non solùm postulauit, sed acce-
psit & obtinuit. Celebris est Psalmus 50. *Misericordiam
re me Deus secundùm magnam misericordiam
tuam, & secundùm multitudinem miserationum
tuarum dele iniquitatem meam.* qui ab initio
que ad finem totus est in imploranda hac misere-
cordia super se, postquam admonitus à Nabu-
pheta cognouit delictorum suorum, adulteri-
ij & homicidij, non sine magno totius sui
scandalo, grauitatem. Quo Hymno sicut obtinuit
veniam peccatorum, & gratiæ dona amissa
misericordiam magnam Dei exultat, spondens
se illam in æternum laudibus celebraturum.

Oseæ vii.

Hymni sunt apud Deum omnibus electis vitu-
pretiosiores & cariores; vituli idcirco appella-
tur tam à Prophetis antiquis quàm ab Apostolis
nouæ Ecclesiæ. Oseas ex priscis Prophetis Domini
num exorans, vt veniam peccatorum misericordiam
concedat, spondens Hymnos, vocat eos vitulos
labiorum: *Omnem aufer iniquitatem, accipiamus
num, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

Hebr. i 3.

Paulus magnus nouæ Ecclesiæ Apostolus, vt doceret
Hebræos modum conciliandi misericordiam & gratiam
Dei, hortatur vsus Hymnorum loco hostiæ quæ ex
vitulis offerrebat; & appellat fructum labiorum
confitentium Deo: *Offerimus hostiam laudis semper
Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius.*

*Orare an
debeant
peccatores.*

Hos Hymnos qui nouit vsurpare loco
caustorum pinguißimorum, & victimarum
caustorum

ctissimarum Sacrificiorumq; perfectissimorum,
 facillimè tum sibi tum aliis poterit conciliare
 Deum propitium; sibi inquam, si nimirum pec-
 catorum pondere pressus egeat gratia Dei. Nec
 quisquam debet abstinere ab Hymnodia, quia
 existat in peccato mortali, nec dignus sit exau-
 diri. Nam licet pronuntiauerit aliquando cæcus
 à natiuitate illam propositionem, *Scimus quia pec-*
catores non exaudit Deus; quæ propositio multos
 deterret ab vsu orationis & Hymnodia, quan-
 do se graui culpæ obnoxios sciunt: nihilominus
 neque peccatores ab orationis debito excusantur,
 quia absolutè sumpta hæc propositio cæci non est
 vera, imò vti absolutè falsa reiicitur à diuo Au-
 gustino & ab Origene, qui admonent excusan-
 dum cæcum, quia illam protulit nondum in fide
 illuminatus. Potest tantum admitti illa proposi-
 tio quoad meritum; nulla enim oratio aut alia
 virtutis actio peccatoris est meritoria, cum meri-
 tum supponat statum gratiæ præexistentis. Itaque
 peccator ex merito non est dignus à Deo exaudi-
 ri; oret tamen peccator & Hymnos dicat Deo,
 quando voluntatem deponit peccandi; cupitque
 morum emendationem & mutationem, sicuti
 orauerunt, & impetrauerunt Magdalena, Publi-
 canus, & latro. Veniam iste obtinebit non ex vi
 meriti sui, sed ex benignitate & misericordia di-
 uina, quæ Hymnis celebrata & exorata libenter
 audit & exaudit precantes, quemadmodum do-
 cent omnes sacri Theologi cum D. Thoma. Hinc
 à Christo Domino nostro docemur dicere & ora-
 re: *Dimitte nobis debita nostra.* Quæ oratio si esset
 minimè exaudienda, vtique non iuberetur, & ta-
 men supponit adesse debita culparum ignoscen-
 da.

Ioan. 9.

D. August.

Tract. 44.

in Ioan.

Origen. in

Isaiam Ho-

mil. 5.

Peccatores

orantes an

à Deo ex-

audiantur.

D. Thom.

2. 2. q. 83.

art. 16.

Matth. 6.

da.

*Oratio ab
Ecclesia or-
dinata ma-
iorem possi-
det vim im-
petrationis.
Libro II.
cap. VIII.
& lib. III.
cap. II.*

da. Addamus, quòd Hymnorum vsus in Hebraeo Canonis maiori pollet auctoritate ad impetrandum, quia præscriptus est ab Ecclesia, cuius persona induitur ab orante & psallente deputato, siue ratione Ordinis, siue ratione beneficij, siue ratione status Religiosi, vti postea latius dicemus.

2. Paral. 7.

*Insignis misericordia
diuina effectus super
psallentes
in Templo
Salomonis.*

Varios diuinæ misericordiæ effectus ex Hymnodia vsu ortos nouimus ex sacris Scripturis. Vnum hoc loco satis sit referre, qui ceteris distinctior videtur; quem omnis populus Israeliticus videre dignus fuit in solemnissima Templi Salomonici dedicatione, magna omnium ordinum frequentia celebrata. Tunc canentes Sacerdotes & Leuitæ singulari lætitiæ affectu concinunt Hymnum illum celebrem in laudem omnium operum diuinæ misericordiæ, qui incipit, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius*, cum alijs Dauidicis Hymnis;

cum ecce ignis descendens de cælo deuorauit holocausta & victimas, deinde Maiestas Domini impleuit totum illud Templum. Omnia conspiciébantur ab omni populo, qui lætitanus laudabat Dominum, repetens ac dicens *Quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius*. Has easdem misericordias saltem inuicem experitur nostra Ecclesia propter vsum Hymnodia, quæ dum ritè exercebitur, misericordias copiosas semper obtinebit & augebit.

Sicut itaque vnicuique Ecclesiastico facilis vsus Hymnorum, vt idcirco non sit opus parare impensas, sed possint à quolibet officio in omni loco & tempore, ita par est vt illis frequenter vtamur ad nostram vtilitatem. Tanta hæc utilitas

cilitas nequit reperiri in aliis Sacrificiis externis *Psalmorum*
 siue rerum siue victimarum, quæ non omni lo- *Sacrificia*
 co, nec omni tempore, neque ab omni homine *possunt ab*
 possunt haberi: at Hymnos potest quilibet, siue *omnibus*
 pauper siue diues, siue in terra siue in mari, of- *offerri om-*
 ferre & cantare, & misericordiam diuinam super *ni loco &*
 se implorare. Hinc cum sanctus Hymnographus *tempore.*
 prætulisset hilarem ac deuotum cantum Hymno-
 rum cuilibet electissimorum animalium Sacrifi-
 cio dicens, *Laudabo nomen Dei cum cantico, & Psal. 68.*
magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vi-
tulum nouellum, cornua producentem & ungulas;
 tandem ad quoscumque siue necessitate siue vo-
 luntate pauperes conuertit sermonem, eisque gra-
 tulatur ob huiusmodi facilem opportunitatem,
 quæ habent gratissimas immolandi victimas Deo,
 absque molestia quærendi sumptus: *Videant pau-*
peres, & lætentur; querite Deum, & viuet anima
vestra, quoniam exaudivit pauperes Dominus. Ex-
 pendere hoc loco possumus suauem ac nobilem
 Historiam, quam scriptam reliquit ad nostram
 utilitatem & consolationem sanctus Propheta Io-
 nas initio suæ Scripturæ dicens, quod naufragan-
 tes socij, post incolumitatis obtentæ mirabile be-
 neficium, *immolauerunt hostias Domino. Quas Ionæ 1.*
 hostias, quæso, potuerunt illi homines immola-
 re Domino, quærit diuus Hieronymus, cum cer-
 tum sit, in illa naui nullas fuisse victimas immo-
 landas? nam etiam si antea forsan ad fuissent ani-
 malia, postea dum periclitaretur naui, vtique
 fuissent in mare proiecta, cum proiecta fuerint
 omnia vasa quæ nauem aliquo modo aggraua-
 bant: imò res eò deuenit ob periculum, vt de-
 cretum esset proicere aliquos homines, vt ma-

N

gis

gis alleuiaretur naus, vti re ipsa proiectus fuit
 Ionas sorte extractus: qui nisi à cete ex diuina
 dispositione fuisset seruatus illæsus, demersus
 fluctibus interiisset. Quid igitur potuerunt im-
 molare, quando victimas non habebant? Respon-
 dit dubium diuus Hieronymus dicens, nulli
 aptiori sensu intelligi posse hanc immolationem
 nisi dicamus immolasse hostias laborum, lau-
 des nimirum & Hymnos, quales obtulit etiam
 Ionas in ventre ceti existens; nam dicitur
 orasse Dominum suum illis verbis: *Ego autem
 in voce laudis immolabo tibi.* O verè nobiles ho-
 stias Deo caras, nobis faciles, imò & viles, cu-
 numquam nobis deesse possunt! Has sæpè im-
 molabat Hymnographus, vt sibi diuinam prom-
 eretur misericordiam: *Immolam in tabernaculo
 eius hostiam vociferationis; cantabo, & psalmodiam
 dicam.*

*Naufra-
 gantes pos-
 sunt Deo
 offerre vi-
 ctimas ora-
 tionis.*

Ionæ 2.

Psal. 26.

*Psalmorum
 preces Ec-
 clesiam sus-
 tentant.*

Gen. 32.

*Exod. 32.
 Psalmodia
 impedit di-
 uinum fu-
 rorem.*

Nisi huiusmodi hostiæ institutæ essent in Ec-
 clesia fidelium opportuno tempore vsurpanda
 actum iam esset de re Christiana, propter gra-
 uis delictorum frequentiam, quæ iram Dei
 maximè exacuunt & armant. Verùm flectit
 Deus à piis psallentibus, qui quasi mystici labo-
 ratores, oratione & precibus Deum flectunt ad
 postulata, æmulatores effecti Patriarchæ Isaac,
 qui luctans obtinuit benedictionem postulatam.
 Imò ausim dicere, quòd Deum cogant nostræ
 Hymnodia, vt iram deponat, & misericordiam
 exhibeat; quasi non possit aliter resistere. Hinc
 illa vox ad Moysen pro populo orantem, *Dimi-
 te me; vbi Chaldæus legit, Intermitte precationem,
 ut irascatur furor meus: quia precatio tantum
 viri, iram & furorem iustum Dei impediabat, & ultionem*

ultionem sumeret de populo contumaci. Hanc misericordiam ne omittamus enixè postulare, ô Ecclesiastici, & pro nobis & pro aliis, vt aliquando valeamus ad ipsum Deum benignum peruenire, qui coronat dona sua in misericordia & in miserationibus, si fideliter expleamus officium Hymnodia nobis iniuncta.

CAPVT XX.

Hymnorum vsus morientibus ac mortuis proficiuus.

LICET Hymnorum vsus nullam mortalibus vtilitatem adferret aliam, nisi alteram ex iis quas hoc Capite probare intendimus, nempe magnum aduersus diaboli insidias præsidium tempore mortis, magnum item vita functis suffragium, esset nihilominus valdè æstimandus ac diligendus. Sola prior vtilitas maxima esset, & Hymnodia æstimationem extolleret, quia illam necessitatem subleuat, in qua de summa agitur rerum; agitur, inquam, de summa illa felicitate, qua amissa, ad summam pertransitur infelicitatem. Concors est omnium Doctorum sensus, vnicuique morienti adstare & instare dæmones, vt variis insidiis & astibus animas lucrentur & pertrahant ad perditionem. Non sanctitati, non merito, nec virtuti morientium attendit diabolus aut parcat, sed totus, vt suo muneri tentandi faciat satis, intentus est, siue speret effectum siue desperet. Ea est diaboli conditio, semper vt velit suis exercere tentationibus homines. Ille quidem ligatas habet vires, nec potest quidquid veller ob-

Dæmones morientibus adstant & instant insidiis.

Diaboli vires sunt ligatae.

Apoc. 20.

finere; vti disertè nobis testatum reliquit dicitur
fuisse ab Angelo, hoc est Christo per Angelum
figurato, *draconem, serpentem antiquum, quem
diabolus & satanas, & ligatum per annos mille,
missum in abyssum, & signatum super illum.* Cui

D. August.
Serm. 197.
de Temp.

nis est diabolus, aiebat diuus Augustinus, in ca-
tena positus, latrare potest; aggredi potest, mor-
dere omnino non potest nisi volentem. Leo etiam
& circuit quærens quem deuoret, rugire potest.

D. Bernar.
in Psalm.
Qui habit.
Serm. 13.

aiebat diuus Bernardus, sed ferire non potest.
Vult nihilominus experiri suas vires & conatus
suos; quidquid tandem euenturum sit non scit
rans; suum enim illam, quam habet tentandi, non
explere videtur.

*Iusti cur
permittantur
tentari à diabo-
lo sub mortis
tempus.*

Ne quisquam miretur, cur Deus permittat
iustos suos ab hoc tentatore exerceri, voluit
fericors Deus quadam nobili visione aliquando
causas declarare per Angelum suum, cuiusdam
sancti Monasterij custodem. Angelus iste obiit
habuit quadam die diabolum, qui venerat sollicitus,
vt à viris illis virtutum actionibus inter-
prædam aliquam obtineret; cui Angelus dicitur

Surius 15.
Septembr.
in Vita san-
cti Aicardi.

*Habebis hic ministerium Monachis quidem
etuosum, sed non tibi proficuum; illis ad expiationem,
tibi ad confusionem. Illico respondit diabolus.*

*Diaboli
tentationes
purgant iu-
storum ma-
culas.*

*Numquid ego his aut ullis Christicolis debitor sum
ad salutem? Angelus subdit: In hoc his debitor sum
quia si quid in eis est quod refecari debeat, horum
visionis tue purgabitur. Ex quo colloquio in-
uenit sanctus Angelus, Deum permittere iustos
diaboli præsentia tentari, vt talis visio & præsen-
tia illis proficiat ad expiationem quarundam
uiciorum.*

niorum macularum, quas etiam in iustis perfectis remanere contingit. Hinc est, quod idem Angelus conuersus ad sanctum Aicardum, qui Monasterij illius erat Abbas, dixit: *Ne verearis a facie diaboli, nulla ei in hac Christi familia ad nocendum data potestas est, præterquam quod animabus e corpore exituris visio illius expiabilem terrorem inueniet, ut si in eis aliquid est quod refecari debeat, horrendæ illius visionis terrore expietur.*

Ob hanc causam insigniores quique sancti viri sicut non fuerunt immunes ab hac experienda dæmonis conditione, ita opportuno armorum præsidio se armare volentes, ad Psalmorum armamentarium confugerunt, magnam in illorum recitatione vim constituentes; ita ut ferè omnes sub mortem Hymnum aliquem, aut saltem aliquius Psalmi vnum vel plures versiculos, ad necessitatem opportunos, arripere & usurpare studuerint. Ratio principalis, cur tanta virtus aduersus tartareas potestates in Psalmorum vsu sit posita, ea est; quia Dauidis præcipua intentio in suis Hymnis est ad Deum directa, & ad illius prædicandam magnitudinem, sanctitatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, prouidentiam, ceterasque perfectiones, seu attributa, quibus fidei nostræ solemnis continetur professio. Nihil autem magis propulsare dæmonis siue artes siue conatus, quam fidei actus, quasi tot validissima armorum munimenta, docent Apostolorum Principes Petrus & Paulus. Ille dicens, *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, querens quem deuoret, cui resistite fortes in fide, fidem suadet, quæ plurimum valeat ad effugandum leonem rugientem.* Hic etiam asserens, *In omni-*

*Actus fidei
magnam
possidet
virtutem
contra dæ-
mones.*

1. Petr. 5.

Ephel. 6.

*bus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia
la nequissimi ignea extinguere, fidem suadet, quae
validissimi scuti munus exercens, retorquet omnia
diabolica tela, quamuis ignita & ardentia.
hoc est valdè efficacia & acuta. Ad quam rem
pendens Origenes Dauidicum illud pronuntiatum
Psalmi 10. vbi de dæmonibus videtur esse
sermo sub nomine peccatorum, qui intento
parauerant sagittas suas in pharetra, vt sagittae
in obscuro rectos corde, ait: Tu si indutus sis
armis Dei, si scuto fidei munitus, & galea
obtectus, & lorica caritatis & gladio spiritus
sanctus, arcus contra te potentium pro munimentis
libus infirmabitur.*

Origenes
Homil. de
Elcana.

*Diaboli
tentationes
circa fidem
quomodo
facile superentur.*

D. Chryf.
Homil. 8.
in Epist. ad
Romanos.

Magna vis actuum fidei in Deum, praesertim
tempore mortis, quando pertinaciores sunt
demones circa eandem fidem, tentantes illam
quo modo euertere, sed nihil obtinere valent
his qui familiares habent Dauidicos Hymnos
sententias. Sicut eo tempore non disputatio-
bus differendum est cum astutissimo & doctis-
simo hoste, ita Dauidis Hymnos vsurpare
quenter, maximum affert animæ praesidium. Ob-
tinet effectum diabolus facillimè ab his quos
perit hoc praesidio spoliatos & inermes. Est
diabolus, ait sanctus Chrysostomus, quasi quisquam
ex latronibus qui obsident vias, ad spoliandos
iter facientes. Si tunc transiens sit armis munitus,
non audet latro exire & aggredi; at inermes
transeant, aggreditur, imò spoliat & occidit. Ideo
circò inter preces magis opportunas, ad iuu-
dus morti proximis ab Ecclesia institutas, recitan-
das ab adstantibus, potiolem partem possi-
dent Psalmi Dauidici; vt sin minus ipse mori-
tur.

non valeat vel nesciat vsurpare scutum Psalmo-
rum, saltem adhibeatur ab his qui assistunt in
auxilium. Piorum itaque hominum rectè insti-
tutæ Congregationes sicuti student morientibus
fratribus omni opportuno adesse auxilio, ita post
sanctorum Sacramentorum opportunam obla-
tionem Psalmorum etiam offerunt afferuntve
efficacissimam opem. Non erit abs re hoc loco
afferre quæ in nostro Paulinorum Ordine ex præ-
scripto ritu omnino seruamus, ad fratrum nostro-
rum morientium copiosius auxilium & solatium.
Conuenire omnes Religiosi debent, audito do-
mesticæ campanulæ signo, ad ægroti morientis
cubiculum; & dum huic à Superiore datur sacra
Vnctio, isti alternatim recitant Psalmos de Pœni-
tencia. Qui pius mos si à laicis vsurparetur circa
propriis consanguineos atque amicos morientes,
opportuniorem suggererent opem quàm lacry-
mis & eiulatibus.

Recensere hoc loco libet præcipuos Ecclesiæ
sanctos viros sanctasque mulieres in Hymnorum
recitatione expirantes. In primis aderit Dominus
nos^{Psalmis}ter Saluator, qui, ad nostram informationem
& solarium, sicut viuens & sanus diabolicis vo-^{usus est}
luit subiici tentationibus post ieiunium expletum
quadraginta dierum & totidem noctium in de-^{Christus}
serto, ita etiam moriens iisdem insidiis passus est
Euseb. Cæ-^{Dominus}
sar. lib. I.^{tempore}
Demonst.^{mortis.}
cap. vlt.
Christus
Dominus
in cruce ex-
sistens passus
est diaboli
visiones.

Psal. 21.

fligere adstantes, aspectibus toruis & hian-
 etu aspicientes in illum. De qua obsidione, seu
 fictione, videtur locutus Dauid nomine ipsius
 Christi dicens: *Ne discefferis à me, quoniam
 tribulatio proxima est, quoniam non est qui adi-
 uerunt me, aperuerunt super me os suum. Quibus
 Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues
 sederunt me, aperuerunt super me os suum.* Quibus
 Prophetis verbis videtur respondisse effectum
 re ipsa in cruce secutus, quando idem Dominus

Matth. 27.

Marci 15.

quasi coactus fuerit clamare ad Patrem, *De-
 us meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quod
 admodum ab Euangelistis proditum est: quod
 tunc conquestus sit de proprio Patre, quod
 tanta angustia ab hostibus tartareis illata non
 stiterit auxilium. Nullum autem opportunius
 ripuit remedium benignissimus Dominus qui

Luca 23.

verba Psalmorum, dicens: *In manus tuas
 commendo spiritum meum.* quæ ex Psalmo 30. de
 pra esse vnusquisque nouit. A capite nostro
 ad membra electiora facillimè erit transitus.

*Psalmorum
 sententiis
 vsi sunt
 precipui
 sancti vi-
 ri mortis
 tempore.*

De diuo Augustino scripsit Possidonius, quod
 sicut viuens Psalmorum lectioni & studio fuerat
 maximè addictus, ita sub mortem coluerit ma-
 xima frequentia, & recitauerit Psalmos
 qui dicuntur de Pœnitentia, seu Pœnitentibus.
 Diuus Basilius etiam sub mortem recitare
 ingressus est Psalmum 30. & ad illa verba quæ
 Dominus noster in cruce pronuntiauerat, *In manus
 tuas Domine commendo spiritum meum*, dicitur
 expirasse; quemadmodum scripsit diuus Grego-
 rius Nazianzenus eius intimus amicus & socius.
 In eiusdem quoque Psalmi & eorundem verbo-
 rum prolatione expirasse diuum Nicolaum Me-
 ræ Episcopum, & D. Ludouicum Regem ma-
 ximum.

ximum, narrant historiæ. De beatissimo Patriarcha Francisco Assisinate narratur, quòd moriens cygneo cantu inceperit Psalmum 141. quem ad Psal. 141. finem vsque profecutus absoluere commodè potuit; & in suavi prolatione vltimi versiculi, *Me expectant iusti, donec retribuas mihi*, animam Deo creatori reddiderit, vt eam iustorum retributionem re & effectu perciperet, quam Dauidicis verbis nuperrimè decantatis sibi ipse prædixerat. De sancta Paula illa Romana tam celebri, quæ, relicta patria & nobilissimis parentibus, vt soli Deo feruentius vacaret, Ierosolymam commigravit, scripsit diuus Hieronymus, eius in vita spirituali Pater & Doctor, quòd sub mortem ex Dauidicis Hymnis sententias varias vsurpabat, eas præsertim quæ affectum in Deum mouere aptius valerent; vti illa: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* item alia: *Quem admodum desiderat cervinus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Ex nuperrimis afferre possumus, quæ videre & audire licuit Mediolani tribus ab hinc annis, dum ad Comitia nostræ Congregationis generalia conuenissemus. Inuenimus tunc Hieronymum Boërium, qui vnus erat ex primis assessoribus supremi regiminis, quiq; non semel totam Congregationem prudentissimè sanctissimeq; rexerat, graui morbo laborantem, quo tandem nobis creptus, ad vitam, vti credimus, meliorem transiit. Hunc Religiosum sub mortem in Dauidicis verbis valdè assiduè mirabamur; quia præsertim suavi quadam modulatione, apud nos inusitata; Psalmos proferebat. Dum in hoc studio frequens esset, accidit res mira. Nam paulò ante vltimos spiritus,

tus, quando totus calor vitalis ad solum pedu
recessisse videbatur, ab astante Sacerdote inter
rogatus Hieronymus, si Dei memor tunc esse
ipse voce modulata, quæ longissimè è distan

Pfal. 112. loco videbatur exire, clarè cecinit: *Laudate*

Pfal. 121. *ri Dominum, laudate nomen Domini. Letatus*
in his quæ dicta mihi: In domum Domini ibimus

Mortis tem- & ferè in illis verbis expiravit. Quales nos con
pore fre-
quentiora tingit esse viuentes, tales quoque tempore morti
proferun-
tur verba, quæ familiaria habere solent sancti viri tempore
quæ in vi-
ta sana ha- vegetis vitæ, etiam sub mortem repetere contu-
bentur ma-
gis familia- uerunt.
ria.

Ipsi sancti Martyres tempore tormentorum
nullum iucundius præsidium, ad animi sui li-
uamen, adhibere nouerant, quàm ex Davidicis
Hymnis aliquem saltem versiculum; ut de sancto
Theodoro illustrissimo martyre proditum est,
qui inter carnificum manus, dum tormenta sub-
iret maiora, lætus canere auditus est, non sine
stantium admiratione, Psalmum 33. *Benedicite*

Pfal. 33. *Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore*

meo. Quæ usurpatio Psalmorum indicium erat

non obscurum, quòd in eius usu morientes erant
statim euocandi ad canendas laudes diuinas cum

Angelis in perpetuas æternitates. Imò, ad maiorem
huius indicij probationem, voluit Deus adhibere

quando huiusmodi viros, etiam post mortem, ad
diri prosequentes Hymnum, quem mors adhibere

niens præcidere ausa erat. De Nicasio Episcopo
Rhemenfi narratur, quòd ad martyrium ductus

canebat Psalmum 118. & ad ea verba, *Abscisso*

Vincent. *panimento anima mea, fuerit capite plexus; ne-*
Bellouac. hilominus non destiterit abscissum caput à pro-
lib. 21. Hi-
stor. c. 37. *secutione*

Pfal. 118. *panimento anima mea, fuerit capite plexus; ne-*

Abscisso ca- hilominus non destiterit abscissum caput à pro-
pite audi- *secutione*

secutione incepti iam versus, & distinctè auditum est pronuntiare verba sequentia: *Vinifica me secundum verbum tuum.* En quantum Deo placeat hæc verborum Dauidicorū frequentia tempore mortis, dum voluit tanto comprobare miraculo & prodigio hunc vsum. Signum profectò vehemens hoc est ad fauorem studiosorum sacræ Hymnodix, quòd sint etiam post hanc vitam destinati ad eorundem Hymnorum continuacionem; quam gratiam dignetur Dominus noster ex sua pietate nobis largiri, sicut donauit vocationem ad Hymnodix vsum & frequentiam in hac vita.

Nunc ad vita iam functos transeamus, ad quos asserimus se extendere pium Hymnorum cantum ab Ecclesiasticis ministris vsurpatum, & ad ipsorum opem directum tum ex intentione Ecclesiæ, quæ Psalmorum Officiū præscripsit pro defunctis iuuandis; tum ex intentione siue propinquorum siue amicorum viuentium, qui huiusmodi officium ab Ecclesiasticis ministris persoluendum exigunt, & curant; tum ex intentione ipsorum defunctorum, quam, dum essent in humanis, testatam reliquerunt. Hymnorum igitur cantus Deo oblatus pro iam vita functis hoc præstat beneficium, quòd ad satisfaciendū aptus est diuinæ iustitiæ pro debitis, cum quibus decedunt animæ iustorum, siue ob maculas venialium culparum, siue ob reatus ex remissione grauiorum culparum à Sacramentis percepta nondum purgatos. Cùm enim in cantu Hymnorum duplex esse queat vtilis ratio, labor nempe psallentium & vis deprecatiua, vtraque ista ratio ad auxilium mortuis iustis præstandum est apta.

Quatenus

*tus est diuus
Nicasius
prosequi
Psalmi
versum
inceptum.*

*Hymnorum
cantus pius
valet ad iuuandos defunctos.*

D. Dionys.
de Eccles.
Hierarchia
cap. 7.

Quatenus laboriosus est cantus, satisfactionem exhibere potest; quatenus est oratio, potest à Deo impetrare absolutionem. Hinc in Ecclesia filium Hymnodia vsus fuit maximè frequens et præcipuus, imò videtur omnium rituum antiquissimus, ad mortuos iuuandos: nam ab Apostolis fuisse vsurpatum asserit D. Dionysius Areopagita, ipsorum Apostolorum discipulus egregius. Eundem ritum deinceps ab omnibus Catholicis laudatum Doctoribus, & ab Ecclesia vniuersali approbatum, magni semper fecere quosque pij fideles exhibere erga defunctos aliquot veri amoris aut gratitudinis signum voluerunt.

Verùm sicuti defunctorum tria possunt genera constitui diuersa, ita diuersos operari effectus Psalmodia vsus statuendum est. Primum genus est eorum, qui decedentes perfectè boni, iustitiam ad vitam euolant beatam. Tunc quia istis defunctis nullum est necessarium suffragium, Psalmodia à viuentibus oblata vices agit gratiarum actionis; gaudium tamen aliquod, quod Theologi dicunt accidentale, augere dicenda est anima illi beatæ. Alterum genus est eorum, qui decedentes grauibus onusti culpis, transeunt iustitiam ad æternam damnationem. Istis nullum omnino præstare potest auxilium siue suffragium oblata Hymnodia, sed tantummodò potest deservire viuorum consolationi: cum enim isti ignocentiam defuncti consanguinei aut amici exitum inferiorem, spem fructus ab Hymnodia percipiendi minimè amittunt, nisi aliquo signo diuinitus deinde de æterna secuta damnatione defuncti reddantur certiores; quemadmodum aliquando, diuina disponente sapientia, inter ipsum Psalmorum cantum

tantum manifestatum est. Insigne spectaculum ^{spēctacu-}
 ad hanc rem amplissima Regiaque Parisiorum ^{lum horri-}
 ciuitas digna fuit videre, quod paucis verbis per- ^{bile cuius-}
 strictum libenter subiicio, quia haud modicam ^{dam defun-}
 continet doctrinam ad nostram informationem, ^{ti.}
 sicuti alias etiam peperit tunc præclaras utilitates.
 Anno octogesimo secundo supra millesimum,
 dum essent persoluenda cuidam magni nominis
 Magistro nuper defuncto in Parisiensi Academia
 publica suffragia trium dierum spatio, conuene-
 rat tota ferè ciuitas ad Templum vbi cadauer ex-
 positum manebat, vt funus tanti viri maiore ho-
 nestarent honore & pluribus suffragiis. Ministri
 Ecclesiastici statura Psalmorum & precum decanta-
 bant Officia: expletis autem Psalmis secundi No-
 cturni, cum ad ea verba Lectionis ex libro Iob,
Responde mihi, ventum esset, en defunctus caput Iob 13.
 erigens, exclamauit voce alta se accusatum. Hu-
 ius euentus nouitas omnes repleuit timore ac de-
 siderio iterum conueniendi sequentibus diebus,
 vt viderent exitum rei. Altera die ad eadem ver-
 ba psallentium iterum exurgens defunctus, ex-
 clamauit se iudicatum. Hic euentus magis deter-
 ruit Parisienses, qui sollicitiores conuenere po-
 strema die, quã ad eadem psallentium verba au-
 ditus est ab omnibus exclamare defunctus se con-
 demnatum. Hoc spectaculum nullam certè attu-
 lit consanguineis consolationem, sed maximam
 tristitiam, aliis tamen admirationem atque timo-
 rem, nonnullis verò insignem vitæ mutationem,
 præsertim Brunoni Coloniensi, Philosophiæ & ^{Mira diuã}
 Theologiæ Magistro, & Canonico Rhemensis, ^{Brunonis}
 qui statim cautiore effectus, mundo renuntians, ^{vita mu-}
 Deo se totum deuouit, secedens vnà cum aliis ^{tatio.}
 eiusdem

eiusdem consilij socijs ad montium Carthusianorum asperrimam solitudinem, vbi in summata austeritate diuinorum contemplationi & sanctitati vacabat: ibique felix dedit initium uo Religiosorum eremitarum Ordini, qui vultum insigniorum, sanctitatis præsertim copiosissimis fructibus, Catholicam Ecclesiam exornauit. Tertium genus est eorum defunctorum, quæ decedunt nec perfectè boni, nec extremè sancti, sed aliquibus culpis leuioribus aut etiam peccatorum reatibus obnoxij, iusti tamen & in gratiam Dei existentes. Huius generis defunctis in sæpius prosunt Psalmodiæ suffragia, obtinenda vel plenam à pœnis absolutionem, vel saltem æquæ immutationem. Verùm non erit absque reuera hoc loco admonere, quòd forsitan nequeones defuncti huiusce tertij generis digni efficiantur fructu suffragiorum. Si namque vera est illa quæ tradita sunt ad hoc institutum à Cardine Caietano, multos puto excludendos à fructu suffragiorum qui dum in hac degerent vita, ait hic egregius Doctor, nullum soliti erant offerre suffragia alijs defunctis, non merentur post mortem accedere auxilijs & suffragijs viuorum; vel quia sic disponente tradentur obliuioni, vel quia præta pro ipsis suffragia non accipientur à Deo, sed alijs dignioribus concedentur, in pœnam contempti studij erga alios prædefunctos. Hæc sententia ab alijs Theologis communiter non recipitur, & reiiicitur, ob nimium quem præ se fert rigor, & quamuis neque ego absolute accedere eorum intendo, si nihilominus expendatur ad tractatum æquitatis, non carebit valida ac firma ratione, pijs fidelibus haud spernenda. Fundatur in re-

Caiet. lib. x.
Opuscul.
Tract. 16.
quæst. 1.

lis æquitatis generalibus, præsertim in illa omnibus notissima, à Domino nostro Seruatore tradita: *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Si hæc regula aliquid valoris habere debet erga defunctos, caueant sibi, qui viuentes nullum aliis prædefunctis exhibere nouerunt suffragium, licet commodè possent haud raro exhibere, iustam isti habent timoris occasionem, ne eadem mensuræ proportio ex iusto Dei iudicio secum adhibeatur. Id aduertant ac vereantur illi Ecclesiastici, qui ab Officiis defunctorum, quæ vel ratione Regulæ vel aliqua alia obligatione tenentur persolvere, quamlibet ob causam, siue iustam siue fictam, libenter se subtrahunt. Debent ipsi è viuis excedere, aliorum exoptabunt suffragia, quæ tamen vel non dabuntur, vel aliis maioris meriti à diuina adscribentur iustitia, vt regula tradita de mensura retributionum suum obtineat effectum. Tandem resumere licebit, quod communiter asseritur absque controuersia sententiarum, nempe pium Hymnorum cantum esse valdè opportunum & efficacem tum ad satisfaciendum, tum ad impetrandum pro defunctis, præsertim quando expletur nomine Ecclesiæ, quæ, vt sæpè dicimus in hoc Opere, est Deo apprimè grata. Valent itaque publicæ Hymnodix pro defunctis ad obtinendum à Deo vel statim plenam, vel citiùs anticipatam à loco Purgatorij liberationem: qui certè valor valdè commendat Hymnodix dignitatem, exigitque à ministris deputatis impeniorem frequentiam illam vsurpandi ad beneficium tot iustorum digno aliquo titulo, siue iustitiæ siue caritatis, expectantium, imò expetentium opportuna suffragia.

CAPVT

CAPVT XXI.

Hymnodie dignitas à calumniis vindicata illustratur.

CONATI sumus diuinarum laudum, quas
 clesia iugi tuetur frequentatione, excellen-
 tiam demonstrare, demonstratamque compa-
 rare, variis aptisque à sacrarum Scripturarum
 sanctorumque Patrum doctrina argumentis
 ductis, vt tanti operis ac muneris cognita
 ta animum piorum suauiter prouocarent, im-
 rum autem validè excitarent, ad illius numerum
 aut omittendam aut remittendam, sed magis
 gisque in dies augendam deuotam feruidam
 executionem. Nouit Deus, cuius oculis & in-
 bentis finis & legentium occulti affectus
 sunt & aperti, nouit, inquam, effectus primum
 elapso triennio à prima Operis editione lecti
 qui nobis significati sunt haud pauci, quos
 in dies speramus, eiusdem Dei fauente, gratia
 futuros maiores. Nos quidem putantes, primum
 disposita in præcedentibus capitibus argumen-
 nihil fore vltèrius necessarium ad Hymnodie
 gnitatem tuendam penes virtutis pietatisque
 seclas, priori huic Libro finem imposueramus.
 Verùm cum necessitas iterùm cudendi Operis
 geret, ne huius exempla multis deessent flagi-
 tibus, statui, inter alia auctaria, hoc ac sequens
 Caput ad istius Libri perfectionem instituere,
 variis calumniis, Hymnodie dignitati immo-
 oppositis, opportunam offerrem defensionem.
 Quia Psalmodie publicæ vsus quorundam de

genio ac studiis videbatur contrarius, aut saltem minùs aptus; quia item cognoscebatur futurus quàm maximè acceptus omnibus animis diuino succensis ardore, diuinamque gloriam cupientibus, vnde amor & honor debebat proficisci, inde ortum habuerunt variæ calumniæ typis euulgatæ, vt, si fieri posset, huius proficui vltus dignitatem aut minuerent, aut in dubium reuocarent, plurimorumque hominum, simpliciorum saltem, qui doctrinas non examinant, animi affectum ab eo aut penitus auerterent, aut ad minimum temperarent. Contra istorum conatus cogor ego scutum opponere iustæ defensionis, ne susceptum à me Opus illustrandum iniustæ expositum dimitterem offensionem tenebrarum, quas humana offundere non omittit passio.

Scripterant iam nonnulli Theologi, munus psallendi in choro fuisse institutum, vt inutilibus ac otiosis Religiosis daretur horarum utilis occupatio. Huius pronuntiatum tenor quot contineat iniuriosas calumnias in Deum, in Ecclesiam, & in Psalmos, manifestè potest dignosci ex iis quæ sparsim per totum hoc Opusculum opportunis afferuntur locis, magisq; ostendetur ex iis quæ mox subiicio. Si namque in primis scopus attendatur institutionis publicæ Hymnodicæ in choro expletæ, efficacissimum præstò erit argumentum desumptum à fine, qui in morali materia exhibere potest demonstrationem ad detegendam illius pronuntiatum iniuriosam prauitatem. Scopus huius *Hymnodicæ publicæ* Hymnodicæ non est aliud, nisi solemnis *publica* laus Altissimi Dei, quam Ecclesia sponsa sanctissimi suo sponso Deo intendit iugem perfectamque publicè offerre, vt imitetur, quantum hu-

O

mana

mana fragilitas patitur, laudes solennes, per-
 ctas iugelq; à triumphante in cælis sorore pub-
 co cantu oblatas eidem Deo. Nec de veritate hu-
 ius asserti finis quis potest iustè ambigere, si vi-
 solius nominis *solemnis Hymnodia* expendere
 uerit: nam laudationem Dei conditionibus qu-
 busdam coniunctâ significare eam omnes sciam
 Quod namque Græci dicunt Hymnum, Latini
 explicant laudem Dei; solemnitatem autem ex-
 gere plurium canentium in Templo vnionem
 mo negat. At rogo, quis potest absque gratia
 iuria tum Dei, tum Ecclesiæ, tum Hymnodia
 excludere ab hoc insigni publico munere scien-
 nis laudationis diuinæ sapientes, egregios viros
 que viros, assumere volens otiosos inutileque
 tantum?

Offenditur Deus, à cuius famulatu in opere
 tam sublimi, quod est exterioris cultus publici
 eidem Deo à mortalibus exhibiti, non mediocri
 instrumentum, subtrahuntur magnæ notæ mu-
 nistri, relictis illi tantum inutilibus & otiosis
 cum tamen ipse Deus, qui primus sibi in cælis
 iuge exercitium harum solemnium laudum in ca-
 lis, ad chori formam versibus alternis explen-
 dum, deputarit tanto muneri insigniores namque
 à se factas, Angelos nempe omnes constituit
 præcipuos suarum laudum præcones ac perpetuos
 cantores. Si Deus sibi eligit meliores per-
 fectioresque substantias ad publicam solemnem
 que suarum laudum celebrationem, quare ho-
 mines volunt eidem Deo adscribere viliores, im-
 priores imperfectioresque cantores? Ecclesia de-
 fenditur, dum ipsi imputatur, quod nunquam
 cogitatione apprehendit, imò quod alienum ma-
 xime

ximè est ab ipsius mente : nam sicut ipsa vellet
 sponsum suum omni qua decet laudatum reue-
 rentia non tantùm priuatè , sed publicè coram
 omnibus hominibus ; ita huic præclaro muneri
 laudandi Deum addicere studet insigniores vtriuf-
 que Cleri , Regularis & sæcularis , ministros. Si
 quis consulere voluerit veritatem , cognoscet fa-
 rebiturque , Capitula Ecclesiarum præcipuarum
 ferè constare viris ingenio , nobilitate ac virtute
 insignioribus. ex iis deinde vniuersalis Ecclesiæ
 Præsules eliguntur. At Capitula ista non aliam
 respiciunt maiorem grauioremque obligationem,
 quam Ecclesiæ fertitium , chori præsertim assi-
 quam frequentationem , vt Hymnis & Canticis
 (ait Concilium Tridentinum) Dei nomen reue-
 renter , distinctè deuotèque studeant laudare.
 Non igitur institutus est chorus ad occupandos
 inutiles & otiosos tantùm. Quoddam cœtus Re-
 ligiosorum chorum ex instituto habentium sem-
 per fuerint , hodieque sint florentissimæ Acade-
 miæ virorum in omni virtutis genere excellen-
 tium , ingenio scilicet , doctrina , prudentia , no-
 bilitate , sanctitate , est adeò notum orbi , vt nulla
 sit opus peculiari probatione , ne tempus frustra
 in re tam aperta conteratur. Recolantur tantum-
 modò insigniora sanctæ Ecclesiæ lumina ex quo-
 libet huiusmodi Religiosorum Ordine educta,
 nempe Episcopi , Cardinales , Pontifices summi ,
 sancti Martyres , Confessores & Virgines , qui
 eandem Ecclesiam doctrina , operationibus , vir-
 tutibus , sanguine , laboribus exornarunt aux-
 runtque , tunc ipsis quoque cæcis patebit tantæ
 veritatis fulgor insignis. Si dicat quis , non sem-
 per omnes Religiosos esse melioris notæ & con-

*Canonico-
rum Capi-
tula viris
constant
egregiis.*

*Concilium
Trident.
Sess. 24.
cap. 12. de
Reform.*

ditionis insignis; huic respondebitur, neque omnes, neque semper plures esse otiosos & inutiles sæpè autem vel omnes vel plurimos esse ad Regularis Reipublicæ munera, quibus vilissimè distinentur, aptos. Status Religiosus is est, propter altitudinem suam admittat viros non inutiles, sed ad res præclaras aptos, non otij amicos, sed otij hostes virtutumque cupidos, & nihilominus chorum semper habuit & coluit. Offenditur prætereà Hymnodia præclara conditio, quæ dum Dei iudicio digna habita est Angelorum beatorum consortio & familiaritate, ab hominibus vix digna censetur ministris inutilibus & otiosis, indigna omnino viris ad Præfatas Cathedras & suggestus aptis; quasi omnes diei horas regimini tantùm, tantùm doctrinæ & concionibus tribuere liberum sit, nullis prætereà muneribus aliis, siue naturæ siue voluntatis, siue pietatis siue consuetudinis, possit quis eorum inleuare; vel quasi omnes diei horæ in choro & cantu sint absoluendæ. *Omnia tempus habent*, asseruit Sapientissimus hominum. Addamus nos tempus esse regiminis, tempus doctrinarum, tempus concionum, tempus diuinarum laudum, tempus semper vnum idemque tempus duobus muneribus vnà obeundis esse destinatum. Quòd si aliquando duplex occupatio grauis foret eodem temporis spatio explenda, vtique muneri magis necessario esset parendum, altero omisso, vt graduum diuersitas tribuatur ordini actionum: nec idcirco licebit inde regulam desumere communem agendi eodem modo in quocumque ordinario euentu. Huic Hymnodia offentioni coniungitur necessario offensio non leuis Davidis Auctoris

Eccle. 3.

*Dignitatis
ordo seruandus in
operationibus.*

Auctoris Hymnorum ; nam iste nullum egregiorum hominum genus excludit à cantu suorum Hymnorum , imò grauiores doctioresque , Reges quoque & Principes maximos veller. atque enixè inuitat ad hunc cāntum. Illustrem huiusmodi supremorum graduum compellationem ad laudes Deo concinendas habemus Psalmo 148. qui totus est ad hanc compellationem perficiendam , inuitans Angelos , cælos , elementa , omnia denique creata ad hoc sublime munus solemnissimæ Hymnodicæ : at quando descendit ad hominum compellationem , à dignioribus sumit exordium , dicens , *Reges terræ & omnes populi , Principes & omnes Iudices terræ ;* deinde pertransit ad alios ordines quoscumque , *Iuuenes & virgines , senes cum iunioribus laudent nomen Domini.* Vt itaque Hymnorum non censetur à Dauide indignus sceptris & corona videntibus , quamuis , ratione gradus & status , isti sint grauissimis maximisque regiminis publicæque rei distenti curis : imò istis ante omnes indicitur cantus Hymnorum ; quia , sicut proximiores sunt Deo ratione gradus , ita arctioris obligationis vinculo tenentur eum laudare ac celebrare , vt illius excelsam magnitudinem non solum corde sed etiam ore confiteantur , & profiteantur , se ab illa , tamquam ab unico vero fonte , cuiuscumque exaltationis cognoscere acceptum , quidquid ipsi obtinent eminentiæ & dignitatis. quòd paucis quidem , sed aptis verbis concludere voluit sanctus Hymnographus sequentibus verbis : *Quia exaltatum est nomen eius solius.* Nec quisquam dicere hoc loco potest , Davidicæ inuitationis propositum satis superque adimpletum iri quacumque adhibita

laudatione, siue propria siue impropria, siue vocis siue moribus, siue priuata siue solempni. Huic occurrit ipse Dauid, qui (vt suæ intentionis manifestam afferret declarationem, quantum ad homines à se inuitatos, ne quis erraret, putans accessiri ad diuinas laudes eodem modo expledas, quo ceteræ res inanimæ & ratione careres inuitantur) exprimit se exigere tantum proprium; vt homo laudet Deum suum eo perfectiori quo potest modo. Nec satisfaceret Deo in modo vsum habens vocis, si absque voce Deum laudaret. Quare Dauid incipit Psalmum

Psal. 149.

sequentem his verbis, *Cantate Domino cum nouum; laus eius in Ecclesia sanctorum.* inueniens eandem animi sui declarationem, adnectit tertium alium Psalmum duobus præcedentibus, in quo mandat, præter vocem & cantum oris, varia assumi instrumenta musica, scilicet tubæ, psalterij, citharæ, tympani, organum, cymbali. Nec istorum trium Psalmorum diuersitas minuit auctoritatem prædictis declarationibus: nam præterquam quod omnes huiusmodi Hymni ab vno eodemque proficiscuntur, nouimus hosce tres Psalmos singulari quatuor gaudere connexionem & vnione, cum fuerint à Dauidè vnus post alium ad eundem finem con-

Bellarmin. in Psal. 148.

positi & directi, vt appositè obseruauit Cardinalis Bellarminus in suis Commentariis, & sanctus Ecclesiæ vniuersalis voluit comprobare, dum in Officio Horarum Canoniarum quotidie eodem cantat quasi vnicum Psalmum, vnum cum alio continuans. Et ne in posterum vllus hac re superesset ambigendi scrupulus, testatur voluit sanctus Dauid eandem animi sui declarationem

tionem

tionem solemnem alia confessione loquens cum Deo ac dicens : *Confiteantur tibi Domine omnes* Psal. 137.

Reges terra, quia audierunt omnia verba oris tui: & cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini. Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit. En à Dauide videmus expressis verbis indictum Regibus cantum proprium & materiam cantus, nempe Dei magnitudinem, gloriam, maiestatem, potentiam, sapientiam. Rex erat, & quidem potentissimus, Ezechias ille in sacra celeberrimus Historia, propter egregias cum in bellicis rebus

tum in diuino cultu procurando dotes, tamquam verus Dauidicæ non solùm coronæ, sed & virtutis & probitatis heres, is nihilominus libens ac volens omnipotenti Deo, à quo supplex poscebat sanitatem, aliquando spondit magnificis verbis Psalmorum cantum, non breuem vnus tantum aut alterius diei, sed quotidianum vsque ad mortem; non priuarum intra palatij ædes, sed publicum, in Templo Sacrificiis ac Hymnodicæ dicato, dicens: *Domine saluum me fac, & Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vite nostre in domo Domini.* Tandem, ad pleniorum dictorum confirmationem, mentem conuertamus ad Reges illos aurea corona redimitos, quos vidit & descripsit in sua Apocalypsi beatus Ioannes Apocal. 4.

stolus: Reges enim illi erant, seniores item erant, & coram ipso Rege Regum, propter venerandam dignitatem, sedere permittebantur, & coronas depositas resumere; plures quoque, non vnus tantummodò, scilicet viginti quatuor erant, & nihilominus tum citharis tum voce sonora cantabant canticum nouum, Quòd itaque decet Re-

ges cælesti iam gloria ornatos, quis dicere audebit, minimè decere homines perfectionis studiosos in gradu aliquo constitutos inter mortales. Tanta est huius sacri muneris cantandi Hymnorum Deo sublimitas, ut insigniores ac nobiliores huiusmodi gradus debeant se censere maximè honoratos, quando ad illud assumuntur. Huiusmodi muneris sublimitatem cognoscere digni esse

Apud Baronium annis 644.
672.680.
704.726.
747.750.
803.813.
855.927.
945.1034.
1131.

sunt in Catholica Ecclesia multi præclari ac famosi orbis Monarchæ, qui sponte se opulentissimis florentissimisque Regnis abdicarunt, vitam Monachos deuotos, non turpis otij gratia sed ut in choro die noctuque canentes, Davidicis consilium explentes, Deo optimo maximo Psalmis & Hymnis darent gloriam.

Ex hætenus adductis colligi item potest, prædictas offensiones ad varios summos Pontifices, Cardinales, Episcopos, piissimosque Reges & Principes Catholicos pertransire: nam ab eis inuimus varias in Ecclesia Dei omni tempore & ætate fuisse institutas egregias fundationes Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum, ab opulentissimis pinguissimis redditibus ad eum præcipuum finem alendi non otiosos inutilesque, sed claros egregiosque viros, qui dies noctesque frequentarent cantum Hymnorum in choro, ut publicus Dei cultus dilatetur, ac magis magnè augeatur. Insigniores fundationes præcipuorum Monasteriorum & Capitulorum, quas videri Germaniam, Galliam, Hispaniam, Poloniam, Italiam apud varias Ecclesias, & apud varios Religiosos Ordines, Canonicorum Regularium, Præmonstratensium, Cisterciensium, Carthusianorum, Benedictinorum, Hieronymianorum, sicuti ortum habuerunt

habuerunt ex pia liberalitate summorum Pontificum, Episcoporum, Cæsarum, Regum, aliorumque Principum & Vniuersitatum, ita in eum finem sunt directæ, vt diuinus cultus, præsertim publicus in choro cantus, exerceretur tum diurnus tum nocturnus. In cuius veritatis ampliorum confirmationem reddere quoque voluit nostra ætate luculentissimum testimonium Philippus II. prudentissimus maximusque Hispaniarum Rex fundacione celeberrimi Templi ac Monasterij, Escuriale nuncupati, quod maximis thesaurorum sumptibus ita vndequaque absolutum reliquit, vt non solum omnium insigniorum Europæ ædificiorum, quæ hactenus extant, superet artem ac pulchritudinem, sed venientibus quoque sæculis sit semper futurum admirationi. Censuit potentissimus Monarcha, insignem istam molem immensamque ferè thesaurorum summam rectè collocatam esse in numero egregio Eremitarum Monachorum, qui Hieronymiani dicuntur, alendo, vt in eodem magnificentissimo Templo sanctaque domo die nocteque laudes peragantur diuinæ ea grauitate ac pietate, quæ ab illis Religiosis impensè obseruatur. Sunt, non negarim, in omnibus Congregationibus viri inutiles, at non pro iis tantummodò institutæ sunt huiusmodi fundaciones, sed præcipuè pro generosis qui otium oderunt. Dolendum est, quòd posterioribus hisce temporibus prodierint, & in dies prodire haud cessent non pauci ex Catholicis arctiorem disciplinam Ecclesiasticam profitentibus, qui ab Ecclesia Dei auertere non erubescant præcipuam hanc ipsius Ecclesiæ erga Deum suum cultus oblationem, dum docent ac

O 5 dicunt,

*Escuriale
in Hispania
celebris
extructio.*

dicunt, cantum Hymnorum otiosis inutilibus
 que solummodò hominibus conuenire. Si
 Hymnorum cantum nec amat nec recipit per
 se, eum minimè debet conuitiis lædere: læd
 enim antiquissimum, frequentatissimum sancti
 simumque Ecclesiæ ritum à Deo institutum
 approbatum, quemadmodù pluribus argumen
 & locis in hoc Opere demonstramus. Præstat

Rom. 14. loco ad imitationem beati Apostoli Pauli ait

*Is qui manducat, non manducantem non spernat
 qui non manducat, manducantem non iudicat.*
 stat, inquam, dicere, qui Psalmorum cantum
 non recipit, canentes in choro ac iugi cantu
 lentes non irrideat: qui item cantum istum
 quentat, non canentes minimè spernat. H
 suadet Christi caritas, quæ magis yrget in re
 senti ad cantum Hymnorum spectante, cum ag
 tur non de re adiaphora, sed de re ad Religionem
 ex genere suo directa; agatur de opere præcipuo
 ad publicum diuinum cultum tum peragendu
 tum augendum instituto, à quo abstinere net
 omnino foret. Plura, quæ adhuc possent conu
 hanc calumniam afferri, libens prætermitto,

Libro III. de eadem materia iterùm sermo redibit in
 cap. xvii.

Operis libro, vbi præcipuè demonstrare conu
 mur, chori cantum nulla impedire egregia
 nora. Interim ad aliam nouam refellendam ca
 lumniam accedamus.

CAPVT XXII.

Calumnia alia contra Hymnodia præstantiam edita refellitur.

CALVMNIA alia Hymnodia præstantiam acriter oppugnans prodiit ab obscuro, sed astuto, nupero scriptore pietatis speciem habente, sed re ipsa pietatem abnegante. Paulò antiquior est ista calumnia Opere meo, sed nuper tantum, anno videlicet M. DC. XXX. dum essem Cracouia in Polonia, vbi illa primùm prodiit, mihi innotuit. Hanc haud sine graui animi sensu legi, videns siue à Religioso viro (Religiosum esse scripturæ contextus, vt multi putant, conuincit) siue saltem à Theologo (hoc namque solum nomen sibi præscripsit Auctor) criminationes renouari contra munus præcipuum Religionis, quæ inter *Religionis inter virtutes dignitas.* morales virtutes supremum tenere locum, communi adstruitur Theologorum calculo. Prodiit in lucem noua ista calumnia, contra publicæ in choro Hymnodia meritum, in epistola cuiusdam Theologi ad quemdam Magnatem, scire cupientem, quomodo posset distribuere bona sua temporalia ad pios vsus cum vtilitate quammaxima animæ suæ, & cui Ordini Regulari vnum è nepotibus suis, vitæ Religiosæ desiderio captum, deberet addicere. Hoc titulo prænotatur epistola scriptoris huius, qui noluit ex nomine cognosci. Quicumque sanè is sit, certum est, omnes eius conatus dirigi, ad piissimi Magnatis animum ab Ordinibus Regularibus, vel sacra Psalmodia studiosis vel vitæ seueritatem profitentibus, auertendum,

dum, tamquam ineptis ad consecutionem
 quam maximæ gloriæ Dei à Magnate inter
 Hanc suam epistolam voluit Auctor typis
 pressam, ut eam commendaret æternitati, & p
 ribus communicaret Magnatibus. Pro vitæ
 rioris iusta defensione nulla mihi in hoc Op
 incumbit cura, cum de Psalmodiæ meritis
 nis & scopus. Quare alteri isti parti libens
 sedebo, tum ne extra limites egrediar mihi
 præfixos; tum maximè quia falsa omnia eius
 epistolæ dogmata reiecta copiosè iam sum
 eto Auctore, item Religioso, itemque Pen
 Psalmodiæ publicæ & vitæ seuerioris prof
 & cultore, qui veri zeli arma aurea ind
 Apologeticum pro aliis Ordinibus Religio
 struxit & opposuit propugnaculum. Ad P
 diæ igitur præstantiam tuendam cogor, ne
 neri desim meo, quando huius præclara
 mihi assumpsi ostendenda. Ego itaque à
 stylo minimè discedens, examinabo vim
 num istius scriptoris, ut cognita earum
 clarior elucescat Hymnodiæ nostræ pulchritudo
 & splendor.

R. P. Fr.
 Nicol. à
 Iesu Maria
 Carmelit.
 Discalc.

Ut Magnatem suum iste Auctor doceat
 etioris Religionis electionem, cui & boni
 potem tradere sine errore queat, nititur ei
 suadere, non esse magnificandos illos Ordines
 qui Psalmodiæ præstant operam, ob sequen
 rationes; quia scilicet non ita glorificatur Deus
 nec anima ditatur per Psalmodiam, sicut per op
 ra dilectionis Dei & proximi. & quia magis
 æstimandus orationis usus quàm Psalmodiæ. Item
 quia nobilior modus prouocandi homines ad ob
 uocationem est per doctrinam & prædicationem
 quàm

quàm per cantum. Insuper quia, propter faciendas eleëmofynas corporales, expedit omittere Psalmodiam; igitur multò magis expedit eandem omittere propter eleëmofynas spirituales, docendo nempe, scribendo, corrigendo, & huiusmodi opera faciendo. Rationes istæ egrediuntur in publicum, indutæ aureum diuinæ dilectionis paludamentum chlamydemque purpuream honoris erga aliarum virtutum officia: nihilominùs, quod maximè dolendum est, nituntur caritatem ceterasque euertere virtutes; at, quod maximè consolatur, omni probandi vi sunt prorsus destitutæ. Omnes istæ rationes falsa nituntur suppositione, quam tamen opus erat validè adstruere, ut propositæ intentioni robur possent communicare. Suponunt tamquam certum, quòd ubi studium viget publicæ Hymnodix, ad eò vigeat hoc studium, ut cetera opera, tum caritatis erga Deum & proximum, tum orationis & eleëmofynarum spiritualium, ibi iaceant; vel quia voluntariè sint à Psalmodicis derelicta, vel quia nequeant ob cantus occupationem ab istis exerceri. Hac data hypothesi, vim vtiq; aliquam haberent rationes & argumenta à Theologo disposita; at sine huiusmodi hypothesi corruunt penitus omnes illationes. Libenter ac sponte concedimus, opera caritatis erga Deum & proximum præstare ceteris aliarum virtutum, etiam Religionis operibus, quemadmodum caritas ipsa præstat dignitate & merito virtutibus quibuscumque, ex Apostolica beati Pauli Theologia: *Maiores autem horum est caritas.* At *1. Cor. 13.* quum, imò necessarium est negare illationem, quam inde elicere contendit scriptor, scilicet: Er-

go ubi Psalmodia viget, non potest esse
 dignitas ac perfectio, quanta adest ubi caritas
 ret. Vnusquisque probè cognoscit, huius
 illationem non consequi exposito principio
 quid roboris haberet hoc genus argumen-
 nis, vrgeret quoque ad excludendum à pe-
 ctioribus Religiosis Ordinibus studium
 puarum virtutum, quæ tamen necessariæ or-
 no censentur. Aliquis, vt excluderet oratio-
 studium, sine quo nullus consistere potest
 Religiosus, posset procedere hoc eodem
 mento: Oratio est merito & gradu inferior
 ctione Dei & proximi; igitur Ordo ille, vti
 tionis assiduum studium reperitur, est dignitas
 inferior aliis Ordinibus dilectioni Dei & pro-
 mi intentis. Hæc illatio profectò nec à Theolo-
 vlllo, nec à Philosopho aut Logico admittitur
 hanc apertam rationem; quia non consequitur
 ex illa antecedente propositione, cum studium
 orationis minimè excludat studium perfecti-
 mæ dilectionis Dei & proximi, nec studium
 dilectionis pugnet cum illo studio orationis
 vtrumque inuicem se complectatur. Quare
 vt argumentationes Theologi istius vni-
 deant, debet ipse descendere ad prosecutionem
 syllogismi, & probare, Ordines Psalmodia
 dios numquam posse æquè admitti ad con-
 tionem eius dilectionis Dei & proximi, ad qui-
 nituntur alij Ordines, Dei gloriam & proximi-
 litatem quærentes absque publicæ Psalmodia
 Si non descendatur ad hanc probationem, or-
 vis argumentorū, vt dixi, penitus corrumpitur,
 iusmodi argumentandi modus à rectè sententiâ
 reputabitur Sophistica astutia, ad decipiendū
 idē
 san-
 no-
 cio-
 vt
 et
 pr-
 tu-
 ni-
 di-
 fin-
 di-
 tas
 ha-
 bu-
 Pf-
 di-
 bi-
 fir-
 vo-
 fla-
 sen-
 hn-
 qu-
 sic
 gi-
 ne-
 ci-
 ta-
 ri-
 ta-
 ga-
 qu-
 m-

idiotas parata ac disposita. Verum ad hanc necessariam assumptæ suæ intentionis probationem noluit descendere Auctor, sed eam sub velo speciosæ à se factæ propositionis contextam reliquit, ut incauti Lectores ab illa apparenti specie seducti in eam inciderent, falsitatemque reciperent pro veritate. Constituamus itaque esse indubitatum ac certum apud Catholicos Theologos, minimè pugnare inter se hæc studia Psalmodiæ & dilectionis Dei & proximi, sed esse maximè affinia atque conformia. Caritatem fouet Psalmodiæ deuota, Psalmodiæ deuotionem excitat caritas, mutuoque altera alteram auget & illustrat, ut haud semel ostendimus hoc eodem ac sequenti—Libro 1. cap. XII. libro II. cap. XII. libro III. cap. XVII. Libris. Huius inter sanctam dilectionem & Psalmodiam connexionis amplissimum orbi reddidit testimonium diuus Augustinus aliàs à nobis allatus, quem non pigebit, ob rei grauitatem simul & iucunditatem, iterum afferre: *Quas tibi voces dabam in Psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum aduersus typhum generis humani? & tamen toto orbe cantantur, & non est qui se abscondit à calore tuo.* Huic illustri confessioni ratio non repugnat, sed suffragatur Theologica. Nam quamuis Psalmodiæ minimè sit ex genere suo actus caritatis, sed Religionis, non idcirco Theologis est nouum asserere, eam à caritate aliquando proficisci, tuncque esse opus caritatis. Caritas namque, ratione suæ regię dignitatis, inter omnes virtutes hanc possidet prærogatiuam extendendi suum imperium ad opera quæcumque ceterarum virtutum, iuxta suauissimam doctrinam Ecclesiæ traditam ab Apostolo Paulo

Caritas inter virtutes regiam habet dignitatem.

1. Cor. 13. Paulo opera caritatis celebrante: *Caritas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Qua doctrina innixi omnes Theologi tradunt, distinctionem illam actuum caritatis, nempe vel elicitorum vel impetratorum, omnibus notam. Imò nec defuere ex Theologis qui caritati vim concedant immediatè faciendi actum exteriorum siue Religionis siue exterioris virtutis, nullo habito respectu vel ad cultum religiosum, vel ad illam virtutem, quæ poterat huiusmodi elici actus. At, quælo, quomodo possent modo in hac mortali vita diffidentius se duo præclara illa dilectionis & cantus mensura quæ ita cum intellectuali natura, siue Angelicæ sit siue humana, sunt erga Deum coniuncta, nunquam ab inuicem esse separanda in partem beata constanter asseuerent sacræ Doctrinæ? Et cuabuntur Prophetiæ, linguæ cessabunt, desinetur scientiæ, nec aliquando opus erit lectionibus, descriptionibus, concionibus vacare, nunquam tamen aut caritas aut cantus omitteretur, imò dilectio semper ardebit, & diuinæ laudes sine intermissione resonabunt in cælis. Cùm itaque animè pugnent inter se caritas & Hymnodia, quomodo quis potest iustè inferre, Ordines Hymnodicæ cultores non esse tanti faciendos, quomodo debent fieri Ordines caritatis studiosi, cùm etiam illi profiteantur vnà cum Hymnodicæ vsu idem caritatis studium? Nouerunt omnes Catholici præcipuis Religiosis Ordinibus mixtam vitam profitentibus perfectè expleri vtramque sanctæ dilectionis partem tam erga Deum quam erga proximum, tum gloriam Dei quam maxime promouendo, tum eleëmofynarum spiritualium

Suarez de
Act. carit.
disput. 2.
sect. 1.
num. 7.

quentissimis largitionibus, doctrinas scilicet tradendo, libros scribendo, conciones habendo, Sacramenta ministrando, contra hæreses pugnando. Nec Psalmodiæ publicæ vsus has aut impedit aut retardat caritatis operationes, quamuis multas & magnas. Si aptè distribuantur diei horæ tum diurnæ tum nocturnæ, varia ac diuersa possunt etiam ab eodem vno homine peragi ministeria, quantò magis ab vno integro corpore, ex variis electis membris constante, nempe ab integro Ordine, aut Monasterio, aut Collegio virorum electòrum multa poterunt expleri? Vni tantùm rei vacare eundem hominem nec vsus comprobatur, nec ratio suadet, sed varia opera ex necessitate, iuxta varietatem horarum, sunt implenda. Si necessitas vrgeat aliquando implere eodem temporis spatio duo munera diuersa, tunc graduum diuersitas à Theologo allata in sua epistola, & à nobis etiam in præcedenti Capite confirmata, locum habere debet, munusque ordinis inferioris omitti aut poterit aut debet, vt locus & tempus deseruiat muneri altiori & vtiliori: tunc qui erit huiusmodi muneri addictus, poterit, absque vlla Regularis obseruantie iactura, ab vsu chori se subtrahere. Nec ista immunitas communi illi ac strictissimæ disciplinæ, quæ nullam exemptionem aut in cibis, aut in vestibus aut in obedientia permittit, cuiquam Religioso, quamuis præstantissimo, poterit dici noxia. Nam in quolibet Religiosorum arctissimo statu plurima alia, propter causas necessarias, circa disciplinæ rigorem conceduntur ad tempus determinatum, verbi gratiâ indigentibus ægrotis vel carniui comestio, vbi illa ratione Regulæ prohibetur;

p

tur;

tur; vel lini aut lanæ, aut molliorum etiam
 lium vestes tempore morbi, quæ nihilominus
 non sunt hæctenus cognita Regularibus Statu-
 noxia, quia huiusmodi Statuta minimè cen-
 tur comprehendere iusta necessitate impedi-
 tuncque intelliguntur cedere pro tempore ca-
 tati, quam omnia respiciunt sancta Statuta,
 quam rem sanctus Bernardus in aureo suo Te-
 ctatu, quem de Præcepto & dispensatione scri-
 psit, ubi egregiè agit de Regularium Statuta-
 dispensationibus, intermissionibus mutatio-
 busque ad tempus, tradit inter alia, licet
 noxiæque quælibet huiusmodi Statuta possunt
 causis, personis, locis & temporibus dispensari
 studiosè adhibens illa verba, *licetè innoxie*
 vt intelligeremus, nullum damnum ipsis Statu-
 inferri, quando in eis ad tempus ex causa dispen-
 satur: causa tamen debet esse minimè levis, &
 grauis, nec pro libito aut dispensantis aut peten-
 tis dispensationem, sed vera & realis. Quod in
 aliquo Ordine nullæ (quamuis iusta necessitate
 id exigat) concederentur discretæ dispensationes
 sub specie maioris perfectionis, id dubio præter
 futurum dicerem valdè noxium caritati in qua
 perfectio consistit; & tunc, quæ caritatem de-
 bent in primis respicere, contra caritatem pug-
 narent. Quare ad rem nostram absolute præter
 melius esse chorum habere vnâ cum immunda-
 tis alicuius necessariæ singularibus personis
 tempus permissione, quàm illo omnino care-
 ob eam rationem, ne locus pateat exemptioni-
 bus huiusmodi quærendis; licet neotericus al-
 scriptor docere conetur contrarium, dum potius
 auferendum censet chorum ab integro Ordine

D. Bernar.
 de Præcept.
 & dispens.
 cap. 3. 4. &
 sequent.

ne particularis aliquorum exemptio, quamuis ad tempus, admittatur, quàm illum amplecti cum huiusmodi limitata exemptione temporis, personarum & muneris, etiam si multi alij possent eidem choro commodè vacare, absque detrimento altiorum vtiliorumve negotiorum quæ accidere solent ab aliis expedienda. Extra veræ necessitatis angustias, quæ admodum frequentes esse minimè solent, sunt cuilibet muneri apud Religionem rectè instructas assignata horarum spatia opportuna singulis muneribus, vt omnia queant perfectè peragi à viris generosis. Ad cuius rei pleniorum fidem subtexo testimonium celebris Carthusianorum Ordinis, licet non mixtam, sed eremiticam monasticamque profitentis vitam, qui inter alios resplendet non tantùm ob vitæ austerioris seueram disciplinam, sed etiam ob singularem nocturni diurnique cantus in choro assiduam prolixitatem. Hic quidem Ordo variis temporibus viros peperit præclaros, qui libris scribendis, ad dilatandam Dei gloriam maximè aptis, insudarunt. Istorum Scriptorum vnicum sit nobis exemplum Laurentius Surius, qui nul-

*Laurentij
Suriij assiduitas ad
studia &
ad chorum.*

lam licet immunitatem nec ab Hymnorum cantu, nec à ieiuniorum macerationumve, quæ in illo Ordine plura sunt & perpetua, obseruationibus petiisset, plurima tamen egregia potuit conscribere Volumina, quæ summi Dei, sanctorumque virorum ac militantis Ecclesiæ auxerunt gloriam. Quòd si plures Religiosi, cuiuscumque sint Ordinis, nec librorum scriptioni, nec disciplinis tradendis in scholis, nec concionibus habendis, nec aliis muniis præclaris, ad quæ apti essent, vacare nouerunt, id non Hymnodicæ prolixitati aut

labori à viris tribuetur prudentibus ; cùm in
 risque Ordinibus vitæ mixtæ professoribus
 minimè tanta , quanta apud Carthusianos
 que tantùm contemplatiuos , qui magnam
 partem in cantu absument Ecclesiastico , sed
 admodum temperata ac suavis , quæ à
 censetur animi potiùs pia relaxatio quàm
 molestum , aut graue impedimentum. Tribu-
 tur tarpis ista vacatio aut infirmitati , aut
 gentiæ aut alteri vitio ipsorum psallentium ,
 nesciant nolintve talenta Domini sui exercere
 item nonnulli extra veram necessitatis
 quærunt petuntve immunitatem à choro ,
 que studij neque occupationis cuiuscumque
 conditioni , neque item chori aut cantus natura
 ipsorum petentium adscribatur libertati. Has
 exemptiones minimè quærunt alacres feruidi
 Religiosi , imò etiam sponte oblatas , aut alio
 isto titulo à Superioribus concessas sæpè reculant
 Nec iactantia forer , asserere , in Ordinibus Hy-
 nodiæ studiosis adeò floruisse litterarũ omnis
 generis studia , haud sine diuinæ gloriæ incrementis
 vt per ipsos , quæ iam dici poterant in Christiana
 Republica pænè extincta , fuerint ad vitam reuoca-
 cata ; nam res ipsa de se loquitur , & ab omnibus
 est asserta historiis. Nec item iactantiæ esse tri-
 buendum , si dicerentur ex iisdem Ordinibus
 semper produsse in diesque prodire viri diuini
 adeò æstuantes caritate , vt mundus dubitare
 ipsis potuerit , num homines essent spirituales
 an spiritus Seraphici in humano corpore viua-
 tes , vel saltem essent Apostolici homines. In-
 nuere sit satis in præsentibus aliquos ex notioribus
 duorum tantùm præcipuorum Ordinum , nec

pe D. Thomam Aquinatem, D. Vincentium Fer- *Viri cari-*
 rierium, D. Raymundum à Pennafort, D. Hya- *tate & stua-*
 cinthum Polonum, ex Ordine sancti Dominici; *tes ex Ordi-*
 D. Bonauenturam Balneoregiensem, D. Anto- *nibus Psal-*
 nium Lusitanum seu Patauinum, D. Bernardi- *modiam*
 num Senensem, B. Ioannem à Capistrano, ex *habenti-*
 Ordine sancti Francisci, de quibus Ecclesia iure *bus.*

potest dicere: En nouos Seraphinos, en Aposto-
 licos viros, ob vehementissimum flagrantissi-
 mumque amoris in Deum & in proximum in-
 cendium, qui verbo, scriptis & operationibus,
 pro Dei gloria & proximorum vtilitate, se ipsos
 diu noctuque exercuerunt, numquam tamen
 chori frequentiam omiserunt. Plurimis eiusdem
 conditionis viris ex aliis antiquis & recentioribus
 Ordinibus chori Psalmodiæ addictis supersedeo,
 quia catalogum non contexo virosum illustrium.
 Notiores significasse, ad fidem dictis adstruen-
 dam & calumnias propulsandas, sit satis circa
 actus caritatis, quos ab Ordinibus Hymnodia
 studiosis extorres volebat hic Auctor. Iam satis
 conuicta remanet falsitas illationis à Theologo
 isto intentæ, non solum ob defectum syllogisti-
 cæ ratiocinationis iam detectæ, sed insuper ob
 praxim, eiusdem dictis ex diametro contrariam,
 ab omnibus cognitam, & à nobis significatam.

Nec adhuc assequi potui, quo fundamento bo-
 næ doctrinæ idem Theologus separare nitatur
 orationis studium à Psalmodia in illa sua ad Ma-
 gnatem aduertentia, vt illas Religiones pluris
 faciat, in quibus maius est orationis studium
 quàm Psalmodiæ; quasi vnus studium aut im-
 pediat aut euertat aliud, cum tamen vnum sint
 & idem, seu, vt loquar distinctiùs, vnum inclu-

*Psalmodia
spectat ad
orationem.*

dat aliud tamquam species suum genus. Quamvis non omnis oratio in sua latitudine sumpta
 Psalmodia. Psalmodia tamen ritè ac rectè ex-
 ta est vera oratio, oratio, inquam, vocalis, quæ
 vocis prolatione exercetur, ut superius vidimus
 oratio item mentalis, quia cordis attentionem
 sequente Libro ostendetur, exigit coniunctam
 oratio coniuncta melodiæ & cantui: quæ con-
 tio nihil detrahit perfectioni orationis, sed
 potius reddit perfectiorem, cum cantus orationem
 habeat ex vehementia internæ motionis in re-
 sonoras erumpere gestientis, erga Dei cognoscendæ
 perfectiones in contemplatione mentis. Tunc
 ac talis inter duo ista munera mentalis orationis
 & Psalmodiæ, etiam separatim sumpta, inter-
 dit nexus, ut apud præcipuos Religiosos Ordinibus
 alterum alteri seruiat aut subsequendo, aut pre-
 cedendo: nam Religiosi huiusmodi vel ab ora-
 tione mentali ad Psalmodiam, vel à Psalmodia
 ad mentalem se conferunt orationem. Quapropter
 licebit veriùs dicere, quòd maius orationis
 studium reperiatur vbi studium viget Psalmodiæ
 quàm vbi sola exercetur per vnam alteram ve-
 ram orationis mentalis praxis; cum, præter Psal-
 modiæ plures horas, horæ etiam adsint mentis
 orationis. Ad quam rem possumus testari quod in
 nostro Paulinorum Ordine omnino seruatur et
 præscriptum nostrarum Constitutionum, nempe
 quotidie, post Matutinum Officium in choro
 expletum, omnes Religiosos statim ibidem tan-
 tè menteque diuinarum rerum contemplatione
 per dimidiæ horæ spatium, item post vespertinum,
 per aliam dimidiam horam eodem loco
 vacare. Theologus iste inde sumpsit, meo iudicio

cio, argumenta ad depressionem Ordinum Psal-
 modicæ publicæ addictorum, vnde rectè sentien-
 tes argumenta elicere nouerunt validiora ad cele-
 brationem & exaltationem eorundem Ordinum;
 quia diei horas ita distribuere satagunt, vt non
 solum illis erga Deum & proximum muneribus,
 orandi scilicet, legendi, scribendi, docendi, con-
 cionandi, quæ vni tantum Ordini esse propria
 significare vellet Theologus, satis abundeque fa-
 ciant, vt fusiùs ostendimus tertio huius Operis
 libro, sed insuper sacram chori Hymnodiam stre-
 nuè retineant & colant. O sanctam temporis ho-
 rarumque distributionem vtilemque occupatio-
 nem! Hæc non tam facilem relinquit Religiosis *publicæ*
 viris occasionem cursitandi per vrbs vias & per *Hymnodicæ*
 plateas, nec permittit frequentare laicorum do- *utilitates.*
 mos, negotiaque in foro & Aulis agere sæcula-
 ria, sed eosdem domi propriæ continet in diuinis
 concinendis Hymnis sanctè distentos, non sine
 populorum vtilitate ac ædificatione. Ista sacri
 cantus occupatio propriè decet Religiosum vi-
 rum nitentem ad quammaximam Dei gloriam.
 Nam etiam si sæcularium negotiorum expeditio-
 nes queant ad Dei gloriam referri, minimè ta-
 men ex se ipsis nec immediatè Deum aut bonum
 spirituale animæ respiciunt, sed debent ad hos
 pios fines dirigi ab operante: at Psalmorum can-
 tus gloriam Dei ex se ipso & immediatè celebrat
 atque auget, animosque tum cantantium tum au-
 dientium spiritualiter afficit, nempe ad actus san-
 ctos eliciendos.

Auctorem tantæ calumniæ contra Psalmicæ
 meritum prolata nec tempus, nec mens mihi est
 insimulandi, cum adhuc ignorem, Catholicisne

fit, an hæreticus. Si etiam Catholicum dicantur
 imò, cum aliis, Religiosum alicuius Ordinis
 cum tamen ipse noluerit se ipsum prodere, sed
 obscurus voluerit sub solo Theologi nomine pro-
 dire, fortassis ne iustum sibi aut alicui Ordini
 pararet præcipuarum Religionum odium, quod
 uerat ex necessitate iustæ defensionis ab istis pro-
 fecturum, nec ego debeo de ignoto quidquam
 crius addere, sed potiùs ipsum dignum cen-
 si minùs excusatione, saltem compassione, ob-
 ordinatas animi sui passiones quas orbi euulgare
 in hac sua artificiosa machinatione deprimere
 Ordines sacræ Psalmodiæ in choro studiosos
 vitæ seuerioris cultores, vt, iis depressis, con-
 dere facillè posset nobilis ille vir electionem Or-
 dinis, cuius fortè gratiam Theologus captare
 tendebat. Bone Iesu! si quis mercator, vt copiosiores
 alliceret propriarum mercium emptores
 non contineret se in celebranda earumdem bo-
 nitate, ad aliorum mercatorum declinans et
 nuandas merces, earum defectus non tam reco-
 sens quàm falsò fingens, illum iustissimè con-
 perent Theologi tamquam iniquum negotia-
 rem, nihilominùs iidem Theologi, quod in illis
 reprehendunt, sæpè omni æmulantur studio in
 re spiritali, non sine graui populorum offensa
 ne. Si ex animo proximorum saluti animarum-
 que lucro intenderemus, ad imitationem beati
 Pauli Apostoli, veri animarum zelatoris, dice-
 2. Cor. 12. tis, *Non quero que vestra sunt, sed vos*, vnus Or-
 do alterius dignitati ac perfectioni minimè de-
 traheret, vt suum aliis præferret; sed æmulantes
 1. Cor. 12. *charismata meliora*, omnes vnanimiter contem-
 derent in promouenda diuina gloria, gaudentes
 quanti

quando hæc gloriæ promotio effectum sortiatur, siue id fiat ab isto siue ab alio Ordine. Omnes namque Ordines Regulares sunt ex vi institutionis in Dei gloriam directi, varia exercentes opera, varia item habentes media ad eundem caritatis finem apta, vt quilibet hominum queat, iuxta sui ingenij captum, eligere sibi ordinem viuendi opportunum. In hac Religiosorum Ordinum varia distinctione haud mediocris est sita Regi-
*Ecclesia
 venustas.
 in varie-
 tate Ordinum sita.*
 næ sponsæ ad dexteram Dei sedentis pulchritudo & venustas; imò ex hac præcipua varietate fuit fortassis celebrata Ecclesiæ pulchritudo ab Hymnographo epithalamicis illis verbis:
Adfuit Regina (Ecclesia) à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Quapropter, non sine graui eiusdem Ecclesiæ læsione, peccaret quis sui Ordinis ac status iactans excellentiam, aliosque extenuans Ordines, vt solus ipse perfectus, solusque præ ceteris habeatur sufficiens.

Psal. 44.

Caueant sibi isti calumniatores à seueritate iræ diuinæ, quæ iustissima erit Ecclesiæ suæ sponsæ piorumque suorum ministrorum, præsertim psallentium in choro, vindex. Recolere ad hanc rem minimè pigeat seuerissimam pœnam Regi-
*Deus est
 vindex
 psallentium
 in choro.*
 næ Michol à Deo inflictam, quia Dauidem Regem coniugem irriferat, quando eum vidit fallentem ac psallentem coram Arca Domini publicè per vias. in pœnam enim istius irrisionis sterilem eam reddidit Deus: *Igitur Michol filia Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* Ita concludit irrisionis narrationem Chronista sacer, studiosè adhibens illam causalem particulam *igitur*; vt significaretur vera huius sterilitatis origo.

P 5 Hæc

Hæc fuit acerbissima pœna, quia Principissa illi prolem maximo exoptabat ardore, tum ne libidino, iuxta illorum temporum & Hebrææ generis morem, exposita maneret; tum ut nomen illius genus suum futuris commendaret temporibus. En quid sibi spondere, meliùs dixerim, timescunt debeant irridentes publicæ Psalmodiæ vsu. Si in irridentes Deus tanta animaduertit seueritate, quid in calumniatores erit executurus? torquet illos iisdem rebus, quibus illi delectantur magis, atque validiùs confidunt.

Nos, ô Regulares, quotquot sacram in choro profitemur Psalmodiam non irrisiones, non indignationes, non conuitia, non calumnias imitantium Michol aut quorumcumque detractorum pertimescamus. Si euulgent isti, metum nostrum potiùs ad scurras quàm ad ingenuos spectare viros; nos, qui eius nouimus dignitatem & experimur virtutes, respondeamus cum egrogio Hymnorum Auctore ac strenuo cantore: *Et vilior fiam plusquam factus sum, & humilis in oculis meis.* Nobis pro minimo sit a detractoribus aut ab humano die iudicari, Dominus namque, qui nostris gaudet Hymnodiis, quæque est futurus omnium Ordinum Iudex summus, opportuno declarabit tempore, vobis amplioris, feruentioris ac perfectioris carnis viguerint actus, num scilicet apud Ordines Psalmodiæ publicæ carentes, aut penes Ordines eisdem publicæ studiosos Hymnodiæ. Et quò si maiores in nos maledicentium hominum calumniæ & irrisiones insurrexerint, eò feruidius sacram frequentemus chori Psalmodiam; imò verbo, & exemplo, & clamore omnes gentes, omnes

Ibidem.

1. Cor. 4.

nia Regna ad eandem excolendam Hymnodiam
prouocare studeamus, verè & ex animo dicentes
cum Hymnographo: *Omnes gentes plaudite ma- Psal. 46.*
nibus, iubilate Deo in voce exultationis. Psallite
Regi nostro, psallite, psallite sapienter. Regna ter- Psal. 67.
ra cantate Deo, psallite Domino. Hic tandem esto
honor, gloria, triumphus noster, magnalia sci-
licet Dei cantu deuoto annuntiare populis, vt
omnes ad illum celebrandum ac diligendum ex-
citantur.



DE